



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus  
practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos  
sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

à casu LXXVI. usque ad Casum CII. inclus. Materiam de Beneficiis  
Ecclesiasticis, de Sacramentis in genere, & in specie de Baptismo,  
Confirmatione, Eucharistiâ, Pœnitentia & Indulgentiis

**Jansen, Leonard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1753**

**VD18 13475452-001**

De Sacramento Pœnitentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39838**

## De Sacramento Pœnitentiæ.

## C A S U S X C V I .

De ejus necessitate , materiâ proxima , dolore , & proposito.

- J**Abinus in examine Synodali interrogatur : 1. Quid sit virtus pœnitentiæ , quodnam ejus objectum materiale , formale? 2. Quid Sacramentum? 3. An virtus pœnitentiæ sit necessaria necessitate mediæ? 4. An præcepti. 5. An obliget statim. 6. Quando per accidens , item an in periculo mortis sit obligatio ad contritionem perfectam. 7. Quid de Sacramento. 8. Quid de contritione in genere. 9. Quid de perfecta. 10. An hæc requirat certam intentionem aut durationem. 11. Quid sit attritio. 12. An sit honesta. 13. Supernaturalis. 14. Efficax , an talis esse possit ex metu gehennæ ibid. 15. An requirat aliquem amorem benevolum. 16. Quid de dolore ex metu pœnarum temporalium. 17. An dolor debeat esse universalis. 18. An etiam respectu venialium. 19. An sensibilis. 20. An elicitus ex intentione confitendi. 21. An præcedere absolutionem , an confessionem. 22. An tempore absolutionis perseverare moraliter. 23. Qualiter revocetur. 24. An idem dolor sufficiat pro pluribus confessionibus. 25. Quid de proposito. Pro Resol.
1. QUÆR. I. Quid , & quotuplex sit pœnitentiâ ?

¶ I. Pœnitentia dicta est à pœnâ, quasi pœniten-  
 tia, quia non solùm includit resipiscen-  
 tiam seu propositum non peccandi deinceps, ut  
 volunt hæretici, sed & dolorem animi scriptum  
 affligentis ob malè commissa vel omissa; nam  
 S. Script. & SS. Patres dum de pœnitentiâ loquun-  
 tur, semper doloris, afflictionis vel pœnæ men-  
 tionem faciunt. *Job. ult. Idcirco meipsum repre-  
 hendo, & ago pœnitentiam in favillâ & cinere,*  
*Joel 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in  
 jejunio & fletu, & planctu, & scindite corda ve-  
 stra, &c.* Et clarissimè S. Aug. lib. 50. Homilia-  
 rum Homil. ult. *Non sufficit mores in melius com-  
 mutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de  
 his, quæ facta sunt, satisfaciat DEO per pœniten-  
 tia dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti  
 cordis Sacrificium, &c.*

¶ II. Pœnitentia dupliciter accipitur: Primò,  
 ut virtus. Secundo, ut Sacramentum. Ut Virtus  
 est habitus inclinans ad detestandum, & vindi-  
 candum peccatum proprium; ejus objectum ma-  
 teriale proximum sunt omnes actus utiles ad de-  
 lendam ac vindicandam offensam & injuriam Deo  
 per peccatum illatam in quantum scilicet illi omnes  
 possunt imperari ut media conducentia ad finem  
 Pœnitentiæ, sive interim sint actus proprii virtu-  
 tis Pœnitentiæ, ut detestatio, dolor &c. sive sint  
 actus aliarum virtutum, ut amor, jejunium, vo-  
 tum &c. Præcipuus autem ac propriissimus Pœ-  
 nitentiæ actus (intellige, imperatus; nam Pœni-  
 tentia actualis propriè sunt soli actus imperantes  
 ab habitu Pœnitentiæ immediatè elicit, de quo  
 fufius scholastici) est contritio, quæ genericè  
 sumpta est *Detestatio ac dolor animi de peccato, qua-  
 tenus est offensa, & injuria Dei, intentione eam*  
 de-

delendi, ac vindicandi, seu compensandi, S. Th. 9. 85. a. 3. Q. a. 1. ad 3. Objectum materiale remotum Pœnitentiæ est peccatum proprium, formale honestas compensationis sita in hoc, quod ipse homo cooperetur ad compensandam, & puniendam in se offensam, & injuriam Deo illatam; peccatum verò dicitur offensa Dei, quatenus causat displicentiam, indignationem, iram & aversionem in Deo. Hæc offensa apud homines potest esse sine injuria: ut si amico absque causa neges tuum librum, quo ipse valde indiget, & tu non uteris, utique amicum offendis, eique das causam displicentiæ & aversionis, non tamen facis ei injuriam, quia jus ad librum non habet; nam injuria est *lesio alieni juris ipso rationabiliter invidi*, ideòque requirit restitutionem, seu redintegrationem juris læsi, quantum fieri potest. Offensa requirit satisfactionem per petitionem veniæ, per obsequia specialia; & quamvis Deo pro peccati injuriâ nihil possimus restituere, seu dare aliquid ex nostris, quod antè Dei non fuerit, cum omnes nostri actus, opera & bona magis sint Dei, quàm nostra; nihilominus æquissimum est, ut quæ contra sanctissimam ejus voluntatem, jus, ac leges iniquè egimus, per Pœnitentiam in nobismet ipsis vindicemus; pœnitentia prout reparat offensam seu pacem læsam, pertinet ad virtutem pacis, quatenus satisfacit pro injuria, reducit ad justitiam; ejusdem enim virtutis est amare bonum, & avertere malum oppositum. Plura de objecto, fine & qualitate virtutis Pœnitentiæ, si placet, vide apud Scholasticos. Pœnitentia ut

2. Sacramentum est absolutio hominis verè contriti & confessi à peccatis post Baptismum commissis; est institutum à Christo Domino post resurrectionem,

præ.

præcipuè dum Joan. 20. Apostolis dixit : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Trid. sess. 14. c. 1. Distinguitur à virtute Pœnitentiæ, quòd hæc solum includat tria scilicet 1. Pœnam, quâ scelus præteritum castigatur. 2. Dolorem & detestationem. 3. Relipscentiam seu propositum emendationis; ut autem est Sacramentum, præter hæc includit ex institutione Christi, confessionem, & absolutionem; & pœna castigatoria non debet esse ad arbitrium pœnitentis, sed dictata ab absolvente.

QUÆR. II. Qualiter Pœnitentia sit necessaria? 3.

R. 1. Omni homini in mortale personale lapsu, omni tempore fuit ad salutem necessaria, necessitate mediæ, aliqua pœnitentia, non tamen formalis. Est de fide Trid. l. c. & Luc. 13. v. 3. & 5. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ratio est, quia homo per peccatum se voluntariè avertit à Deo; ergo, ut salvus fiat, debet per Pœnitentiam se iterum ad Deum convertere. Dixi 1. *In personale lapsu*, nam Originale etiam in adultis, non indiget retractatione, quia non fuit propria voluntate admissum. Dixi 2. *Aliqua Pœnitentia*, id est, contritio perfecta extra Sacramentum, vel debita attritio cum Sacramento. Dixi 3. *Non formalis*, quia justificat amor Dei, qui est tantum Pœnitentia virtualis; si Ss. Patres videantur alicubi requirere formalem, intelligendi sunt de formali in re vel in voto, aut de formali in homine, qui peccatorum recordatur, uti plerumque fit.

R. II. Etiam necessaria est pœnitentia necessitate præcepti tum Divini, quia à scripturâ passim inculcatur; tum naturalis, quia suppositâ elevatione

ti one

tionem hominis ad finem supernaturalem, ipsa ratio naturalis obligat ad illum finem quærendum, ergo etiam ad media necessaria adhibenda, quale medium est pœnitere de personali peccato; accedit, quod præceptum diligendi Deum, & seipsum, sit naturale; sed nemo potest se & Deum diligere, si non amoveat peccatum sibi & Deo summè malum, ergo.

5. R. III. Præceptum pœnitendi obligat solum ad non differendam Pœnitentiam nimis diu, certè non ultrà annum, ut vult *Laym.* aut ultra multas septimanas, spectatis circumstantiis personæ, tentationum, occasionum, periculorum &c. juxta illud Ecclesiast. 5. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ratio est, quia, qui diu & voluntariè manet in Dei inimicitia, censetur de novo contemnere amicitiam Dei, & exponit se periculo graviùs relabendi, facitque jacturam bonorum spiritualium vix numerabilium. Non tamen obligat statim post admissum peccatum, vel quoties peccati memoria occurrit, ut contra *S. Ant. Sylves. Palud. Cajet. Sor. &c.* docet communissima, & totius Ecclesiæ praxi approbata. Ratio est 1. Quia ista obligatio est dubia, & non sufficienter promulgata, cum plurimi Viri docti & pii eam negent, nec legitur sufficiens illius fundamentum, ergo libertas contra eam possidet. 2. Eam non agnoscit praxis timoratorum tam pœnitentium, quàm Confessoriorum, qui non solent interrogare pœnitentes, an statim, vel quoties de peccato cogitârunt, Pœnitentiam egerint, nec pœnitentes se desuper accusant. 3. Adversarii non satis explicant, quo-

modo

modo Tò *statim* intelligi debeat, alii enim volunt intelligi tempus, quo homo deliberatè de suo peccato cogitat cum remorsu Conscientiæ, qui oritur vel à Deo interiùs vel exteriùs à Concionatore; alii, quando post peccatum, passionis ardor deserbuit, & rationis lumen pristinæ Serenitati restituitur: alii tunc, cum peccator primum opus bonum faciet, vel facere tenetur: alii denique intelligunt Vesperè & manè, aut tempus illud, quod homines Curis temporalibus subtrahere, & Conscientiæ propriæ impendere solent. Ex hac discrepantiâ rectè inferitur, legem istam esse omnino incertam, idèdque non obligare. 4. Lex illa non esset prudens, quia induceret gravius periculum peccandi, quàm negatio legis; nam statim pœnitere, vel quoties occurrit peccati memoria, esset peccatori difficillimum, & periculum continuò peccata multiplicandi; ergo lex illa nec datur à Deo, qui nihil injungit imprudenter; nec à naturâ, quæ, quid humanæ conditioni plus boni adferat, unicè attendit. Textus S. Scripturæ & SS. Patrum commodè explicari possunt de conversione à peccato actuali, vel quòd solùm consulant maturam pœnitentiam secundùm dicta suprâ.

DICES 1. Peccat, qui non statim restituit alienum, dum potest, ergo & qui non statim reparat violatum Dei honorem.

2. Non statim pœnitere præfert aliquem contemptum Divinæ amicitia, sicut si filius in conspectu patris diceret: nolo modò petere veniam, licèt sciam me graviter deliquisse.

Y

3.

R.. D Jansen Theol. Moral. Tom. III.

3. Differens pœnitentiam vult manere Deo inimicus & esse objectum odii Divini, item vult continuare occisionem animæ, hæc autem sunt intrinsecè mala, ergo.

4. Nemo patitur vel unico momento Viperam in sinu, ergo nec pati debet Viperam informalem in corde.

5. Multi moriuntur ex improvîso, ergo qui non statim pœnitent, exponit se periculo mortis improvîsæ, & æternæ damnationis.

6. Homo tenetur statim succurrere corpori graviter læso, ergo & animæ.

7. Christus in Evangelio jubet nos semper vigilare, & quinque Virgines dicuntur fatuæ, hoc est peccâsse, eò quòd non fuerint paratæ ad nuptias, sed peccator nec vigilat, nec paratus est, ergo.

*R.* Ad 1. *D. Ant.* Si Dominus ex dilatione restitutionis patiatur damnum *C.* secus *N.* peccatum non nocet Deo in effectu, sed solo affectu, proinde cessante Physicè peccaminoso affectu, Ppsychicè cessat injuria Deo illata; quòd si ex dilatione oriretur Deo novum extrinsecum damnum v. g. novum periculum peccandi, foret per accidens obligatio pœnitendi.

Ad 2. *N. Aff.* ad Prob. disp. est, quia cum homo non inspiciat cor alterius, ex dilatione pœnitentiæ prudenter præsumit, quòd offendens pergat actualiter contemnere, vel continuare malam vitam; Deus autem inspicit cor, adeòque scit, quòd homo actualiter non contemnat amicitiam Divinam, sed eam tantùm differat recuperare, usque dum præceptum urgeat.

Ad 3. Vult manere Deo inimicus, & continuare occisionem animæ positivè *N.* id enim so-

nat



sonat positivam volitionem ad illam perseverantiam, consequenter actualem affectum ad peccatum vel inimicitiam Dei; quod patet esse intrinsecè malum; vult ea negativè, id est, permittit ea *Con.* hoc autem non est malum, sicuti, si ex justâ causâ permitto peccatum proximi, quod tamen positivè non volo, nec in eo mihi complaceo.

Ad 4. Disp. est, quòd Vipera terrestris semper mordeat, vel saltem est probabile periculum, non sic infernalis.

Ad 5. Periculum illud est tantùm remotum, non proximum; aliàs peccator potest semper à quolibet Sacerdote absolvi, etiam à reservatis.

Ad 6. *D. Ant.* Si ex dilatione prudenter timeatur notabiliter augendum, aut aliud superventurum *C. seus N.* idem est de animâ.

Ad 7. Tò vigilare varia significat 1. Abstinerè à peccatis actualibus. 2. Exercere bona opera certo tempore præscripta. 3. Exercere opera supererogatoria. In 1mo & 2do sensu est præceptum vigilandi, in 3tio est tantum consiliùm, ad quod reducitur statim pœnitere. Virgines illæ rectò dicuntur fatuæ, & peccâsse, quia, dum sciebant instare adventum sponsi, neglexerunt se præparare ad nuptias, peccator autem non selt instare mortem.

Re. IV. Præceptum pœnitendi per accidens obligat 6. 1. Dum Sacramentum aliquod est suscipiendum vel conficiendum. 2. Dum aliter gravis tentatio superari nequit. 3. Dum pro publicâ necessitate avertendâ, v. g. irruptione hostium, inundatione &c. putatur esse necessarium placare Deum, quia tunc justitia legalis & æquitas naturalis obligat, ut membra communitatis

tatis malum totius avertere satagant. *Per se* autem obligat 1. aliquoties per vitam; uti dictum est de præcepto diligendi Deum *Caf. 16. num. 4.* 2dò in articulo & probabili periculo mortis, ut fatentur omnes; hinc pœnitere tenetur periculosè ægrotus, miles ante pugnam, prægnans ante difficilem partum, viator ante periculosum iter vel navigationem. Et quidem si Sacramentum suscipi non possit, erit obligatio ad contritionem perfectam, alias enim non erit extrinsecum periculum damnationis. At nunquid tali casu sufficiet attritio cum Sacramento, si haberi possit, affirmant *Laym. Amicus & alii*, at verius *Suar. Gonet & alii* communiter etiam tunc cum Sacramento, requirunt contritionem perfectam, nam si unquam, certè in tali articulo, à quo pendet felix vel infelix æternitas, agendum est tutius, & locum habere tenent verba S. S. *Ambrosii & August. c. si quis de pœnit. Tene certum, & dimitte incertum*; & nemo satis certus est, quòd per attritionem solam cum Sacramento sit salvandus, quia posset non esse baptizatus, idèòque incapax Sacramenti pœnitentiæ, posset Sacerdos carere validâ ordinatione, intentione errasse in formâ, &c. accedit, quod tunc obliget præceptum charitatis in Deum, ut dixi *Caf. 16. num. 5.* Sed non potest quis Deum perfectè diligere, quin memor peccatorum ex eodem motivo doleat, & conteratur de peccatis: Ergo. Deinde qui negligit contritionem, non videtur facere quod est in se, ad quod videtur omninò obligari in tali articulo; alias nec satis confidere poterit Deum etiam ex suâ parte non defuturum. Quare agonizantes ad ejusmodi actus præmissi fide & spe studiosè sunt disponendi.

R. V. Sacramentum Pœnitentiæ post Baptis- 7.  
 mum relapsis est necessarium necessitate medii  
 in re, vel in voto susceptum, quia est medium  
 ex sui institutione justificativum, sine quo in re  
 vel in voto suscepto, nullum post Baptismum  
 remittitur peccatum mortale: suscipitur autem  
 in voto vel proposito per actum contritionis seu  
 charitatis perfectæ; nam qui perfectè conteritur,  
 aut diligit, est paratus servare omnia præcepta,  
 adeoque implicitè etiam præceptum confessionis,  
 quando obligabit, de quo dicam *Cas. seq. q. 8.*

QUÆR. III. Quid circa contritionem in ge-  
 nere? R. Tenenda esse seqq.

1. Contritio in genere est animi dolor, & de- 8.  
 testatio de peccato commissio cum proposito non pec-  
 candi de cætero, *Trid. c. 4.* Dicitur contritio,  
 quia per eam cor hominis ante obduratum præ  
 dolore quodammodo discinditur, comminui-  
 tur, & resolvitur ad recipiendam Divinæ gratiæ  
 impressionem, quemadmodum materia dura &  
 solida per contritionem materialem comminui-  
 tur & resolvitur in exiguas partes. Hujus me-  
 taphoræ fundamentum dedit Scriptura *Ps. 50.*  
*Cor contritum & humiliatum non despicias, &*  
*Joëlis 2. Scindite corda vestra &c.* id autem Spi-  
 ritus S. in animâ operatur serè hoc ordine: Pri-  
 mò immittit agnitionem peccati, quâ agnoscit  
 se Deum offendisse, cælum amisisse, internum  
 meruisse, &c. 2. Succedit cogitatio de placan-  
 do Deo per Pœnitentiam. 3. Incipit voluntas  
 peccatum execrari, detestari, dicendo v.g. *Uti-  
 nam Deum meum non offendissem, tale scelus non  
 admissem!* Igitur *formalis detestatio* est fuga,  
 horror, & aversio, quâ voluntas, quantum est  
 in se, vellet peccatum nunquam fuisse com-  
 missum.

missum. 4. Detestationi se infallibiliter conso-  
 ciat *formalis dolor* ; id est, tristitia, anxietas  
 lucta & inquietudo mentis conantis repellere  
 malum peccati præsens, solèturque exprimi his  
 vel similibus verbis : Heu me miserum ! quid fe-  
 ci ? Quo me vertam ? &c. Cùmque tristitia in-  
 valescit, non sistit in sola parte rationali, seu  
 voluntate, sed & partem sensitivam occupat  
 hinc gemitus, singultus, lachrymæ, deliquit,  
 &c. hic sensibilis dolor, etsi salubris sit, non  
 tamen requiritur, neque ejus defectus est suffi-  
 ciens signum defuisse dolorem rationalem effi-  
 cacem. 5. Sequitur propositum efficax nun-  
 quam peccandi in futurum, petitio veniæ, volun-  
 tas satisfaciendi, & peccata in seipso puniendi per  
 opera Pœnitentiæ, &c. Igitur ad quamcunque  
 contritionem sufficientem ad Sacramentum Pœ-  
 nitentiæ sive per - sive imperfectum ex mente  
 Trid. requiruntur tria : 1. *Formalis Detestatio*,  
 quæ excludit peccatum ut præteritum, vellè-  
 que illud nunquam fuisse. 2. *Formalis Dolor*, id  
 est, inquietudo, tristitia animi de peccato, ap-  
 prehenso ut præsentem : nec sufficit solus amor,  
 quia Trid. explicitè requirit dolorem ; Si tamen  
 quis bonâ fide cum amore Dei ad Sacramentum  
 accessisset, potest præsumere se etiam habuisse  
 dolorem, etsi ejus non recordetur, quia non  
 potest moraliter existere amor Dei perfectus,  
 quin in homine peccatorum memore actu cau-  
 set dolorem ; qui enim actu summè amat, &  
 æstimat Dei amicitiam ; non potest non odisse,  
 & dolere inimicitiam, & offensam amici cog-  
 nitam : similiter qui dolet se dolere non posse,  
 per se loquendo, non habet dolorem sufficien-  
 tem, quia hic dolor non est de ipso peccato,  
 sed

sed de carentiâ doloris; in homine tamen timorato ordinariè conjungitur cum dolore de ipso peccato; hinc qui cum tali dolore ad Sacramentum accessit, non tenetur confessionem repetere. 3. Requiritur propositum, hoc est, seria voluntas non peccandi de cætero, de quo dicam latius infra q. 6.

QUÆR. IV. Quid circa contritionem perfectam? r. Seqq.

I. Contritio est duplex, perfecta & imperfecta: *Perfecta* (de imperfectâ dicam q. seq.) procedit ex motivo charitatis Dei, estque dolor & detestatio peccati prout est offensa Dei super omnia dilecti, ita ut homo vi talis doloris appetat & æstimet Deum super omne bonum, & detestetur peccatum super omne malum, aded ut, si opus esset, paratus sit potiùs amittere omnia bona, etiam seipsum, quàm Deum, & sustinere omnia mala Physica, mortem, annihilationem, pœnas inferni, quàm rursus peccare; & hoc sensu contritio debet esse amor prædominans: ejusmodi tamen comparationes facere in praxi est periculosum, homini præsertim scrupuloso & imperfecto; cum enim mala pœnæ utpote sensibilia magis feriant imaginationem, & ideo naturaliter magis moveant, quàm mala culpæ, homo facilè incidet in nova peccata, scrupulos, vel desperationem; quare caveat Confessarius, ejusmodi comparationes proponere imperfectis; & si spontè pœnitenti incidant, v. g. *Quid faceres, si jam deberes cremari vivus, vel fornicari? Gratiam tui Principis perdere vel committere hanc injustitiam?* &c. Non tenetur aliquid horum eligere, sed potest omnia respuere tanquam impertinentia & periculosa; satis est, quòd a-

more DEI offensi de facto seriò doleat, & proponat non peccare deinceps, non attendendo, quid facturus esset in hac vel illa hypothese pos-vel-impossibili.

2. Contritio perfecta est actus perfectæ charitatis in Deum, includitque votum Sacramenti Pœnitentiæ, hoc ipso, quòd includat voluntatem servandi omnia Dei præcepta, & justificat extra Sacramentum, ut certum est ex *Trid. c. 4. & Prop. 71. Baij. damnatâ*: *Per contritionem etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

10. 3. Contritio justificat, quamprimum existit; neque ad hoc requiritur mora temporis, aut certa intensio, ut contra Adrian. & paucos Lovanienses apud Platel p. 5. num. 550. (qui contritionem ab attritione distinguunt per solam majorem intensiorem) docet communis & certa cum S. Th. Bonav. Suar. hic d. 4. s. 4. numer 7. Lug. d. 5. s. 8. num. 19. Quia S. Scriptura, Trid. & SS. PP. loquentes de contritione justificante, nullibi mentionem faciunt certæ durationis, vel intensiorem; sed solùm requirunt, ut sit charitate perfecta, atque talis est hoc ipso, quòd procedat ex motivo charitatis, & detestetur peccatum, quia Deo summo bono malum est: Ergo. Et specialiter quòd ad intensiorem docet Synod. Agathensis apud Gorm. p. 1. num. 445. his verbis: *Sat est ad veram contritionem detestatio super omnia, licet dolor non sit ita intensus ut alicujus mali temporalis.* Similiter S. Th. in Suppl. q. 5. a. 3. *Qualibet contritio est gratiâ gratum faciente informata*; ergo quantumcunque sit parva, delet omnem culpam: idem do-

docet de durat'one 1. 2. 9. 113. a. 7. in Corp. ubi ait, motum liberi arbitrii, per quem causatur justificationis, posse esse *instantaneum*. Ratio à priori est, quòd substantia & dignitas contritionis consistat in appretiatione DEI super omne bonum, & peccati super omne malum; quòd autem magis vel minùs sit intensa, plus minùsve duret, est illi accidentale, vis autem justificationis in substantia contritionis, non in accidente ponenda est.

4. Certum est, ad Sacramentum pœnitentiæ non requiri contritionem, charitate perfectam; aliàs enim non per ipsum Sacramentum, sed semper præviè causaretur peccatorum remissio. & Sacramentum pœnitentiæ non magis dici posset causativum primæ gratiæ, quàm Sacramenta vivorum, quòd apertè falsum est.

QUÆR. V. Quid de contritione imperfecta?

R. I. Contritio imperfecta, quæ proprio nomine vocatur *Attritio*, est *animi dolor, & detestatio peccati cum proposito non peccandi de cætero concepta ex motivo aliquo supernaturali inferiore, à charitate perfectâ distincto*, ex spe præmii, timore judicii Divini, gehennæ & pœnarum, ex turpitudine peccati, quatenus est contra cultum, reverentiam, obedientiam DEO debitam; vel spoliat animam gratiâ, pulchritudine, jure ad gloriam, &c. Attritio à contritione perfectâ solum distinguitur ex parte motivi; perfecta enim ex motivo charitatis seu amoris, amicitiae & benevolentiae, attritio procedit ex amore concupiscentiæ supernaturalis, quo vel volumus nobis bo-

nam, scilicet veniam peccatorum, gratiam & gloriam, &c. vel volumus avertere à nobis malum gehennæ, purgatorii, iram Dei &c. ideòque omnis attritio salutaris ultimò est actus spei Theologicæ, vel timoris Dei. Quòd autem explicata attritio, cum Sacramento pœnitentiæ sufficiat ad justificandum peccatorem, videtur clarè definiri à Trid. sess. 14. c. 4. ubi de attritione jam dictâ loquens sic habet: *Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

12. R. II. Ut attritio & dolor ex præmemoratis motivis conceptus, sufficiens sit ad Sacramentum pœnitentiæ, debet habere condiciones seqq.

1. Dolor debet esse honestus & bonus, qualis etiam esse potest conceptus ex solo metu gehennæ, vel spe præmii, est de fide ex Trid. c. 4. & 5. ubi docet, ejusmodi attritionem esse donum Dei, & Spiritûs S. impulsus, Quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; sed actus, qui est impulsus Spiritûs S. qui viam ad justitiam parat, est honestus, imò & supernaturalis, ergo. Unde Alexand. VIII. meritò damnavit prop. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis. item. 16. Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia, non est bonus motus ac supernaturalis.*

13. 2. Dolor debet esse supernaturalis, uti nunc certum est ex Prop. 57. ab Innoc. XI. damnatâ: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam.* Ratio est, quia dispositio & medium de-



debet esse proportionatum fini suo; sed finis, ad quem disponit attritio, est quid supernaturale, scilicet ipsa gratia sanctificans, ergo: re ipsa autem dolor erit supernaturalis, si ejus motivum proponatur per fidem, & specialiter respiciat Deum tanquam in se bonum, aut tanquam præmiatorem bonorum, vindicem malorum, tanquam primam regulam omnis honesti, &c. tunc enim, si simul ad sit spes veniæ, nihil deerit, quod minùs in talem dolorem influat principium aliquod supernaturale, refundens supernaturalitatē. Unde non sufficit, sed vanus & inutilis est omnis dolor ex motivo naturali, ut si doleas de peccato ob contractam inde infamiam, morbum, paupertatem, supplicium, &c.

3. Dolor & propositum debent esse efficacia, 14. hoc est, excludere omnem affectum etiam conditionatum ad peccatum; unde non valet dolor ex timore *serviliter servili*, quo quis dolet & detestatur peccata propter pœnam, v. g. gehennæ, cum eâ animi comparatione, ut si non esset gehenna, non vellet dolere, sed peccare; quæ comparatio involvit affectum peccandi conditionatum, si abesset pœna. Si timor pœnæ sit absque tali comparatione animi, dicitur *servilis sine servilitate*; & talem dari posse, probat *S. Thom. 2. 2. q. 9. a. 4* & mihi certum videtur: nam si timor gehennæ necessariò involveret affectum peccandi conditionatum, non posset esse motus bonus & supernaturalis, quod damnatum est ab Alexand. VIII. sup. in prop. 14. § 16. & Ratio est, quia potest quis nunc seridè nolle peccare, quia peccatum causat infernum, præsciendò, an peccaturus esset, si motivum illud non occurreret;

&

& sicut qui dicit, nolo furari, quia furtum causat patibulum, non ideò dicit se furaturum, si furtum non causeret patibulum, sed ab hoc præscindit, attamen vi hujus actûs absolutè vult non furari; item sicut actus, quò dico: Nolo hodie peccare, est honestus, neque ideo dico me velle cras peccare, sed ab hoc præscindo, ita attritus ex metu gehennæ; & Trid. dicit attritionem *ex metu gehennæ* conceptam disponere cum Sacramento ad justificationem, *si voluntatem peccandi excludat*, ergo manifestè supponit eam excludere posse: & certè si possit in homine dari metus mali corporalis efficax, id est determinans ad adhibenda omnia media necessaria pro evitando illo malo corporali, cur non possit dari metus efficax inferni, qui voluntatem determinet ad adhibenda media necessaria pro evitando inferno, atque tale medium est vitare omnem affectum peccati mortalis, ergo. Unde sequitur attritionem ex solo gehennæ metu, 15. absque aliquo amoris benevolentia actu sufficere ad justificationem peccatoris in Sacramento; idq; mihi videtur esse longè probabilissimum, non tamen ita certum, ut sententiam eorum, qui ad ejusmodi attritionem requirunt amorem aliquem benevolum seu initialem ut vocant, ausim dicere omnino improbabilem; cum eam nunc doceant Theologi multj ac Docti adducantque rationes non spernendas; & eam censurare prohibeat Alexand. VII. 5. Maji Anno 1669. Ideoque cum hic agatur de valore Sacramenti, idque circa conditionem ab Ecclesiâ non supplebilem, cum Henno & aliis judico, per se loquendo, non esse satis tutum accedere ad Sacramentum cum dolore sine omni amore, cognito ut tali; per accidens

tamen, quia pœnitens & confessarius id rarò cognoscunt, & vix contingere solet, ut peccator seriò volens justificari, & actu memor Divinæ bonitatis, longanimitatis au misericordiæ &c. non eliciat circa hæc affectum aliquem benevolum, (etsi non ita sensibiliter moveatur ex his, sicut ex metu inferni) pro praxi est mihi indubitatum, hujusmodi attritos semper ferè absolvi posse & debere; quia omnimoda certitudo hic haberi non potest, nec est in potestate pœnitentis semper pertingere ad charitatem perfectam.

Sed quid de dolore concepto ex metu pœnarum 16. temporalium ut à Deo in hac vita infligendarum? 2. Etsi hic dolor speculativè videatur sufficere, si ejus motiva per fidem proponantur, quia tunc potest esse honestus, supernaturalis & efficax modo explicato, & *salubriter concussi Ninivita plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à DEO impetrârunt, Trid. l. c.* quia tamen id *Canus, Hurt. Vasq. q. 92. a. 1.* probabiliiter negant, in praxi adhibendus est dolor certò sufficiens, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Si quis cum tali dolore bonâ fide confessus est, secundum *Tamb. Lugo. Sporer numer 242. La Croix numer 384.* non tenentur confessionem repetere, quia dolor ille probabilissimè est sufficiens; at oppositum mihi magis probatur, quia legi certæ non satisfit per solutionem incertam ut ostendi *Cas. s. a. n. 18.* Vid. ibi dicta.

4. Dolor (idem est de proposito) debet esse 17. universalis, hoc est, se extendere ad omnia mortalia etiam ignorata (saltem implicitè ratione motivi omnibus mortalibus universaliter oppositi, ut

fi

si doleas ob Deum offensum, cælum amissum, infernum promeritum, &c. *S. Thom. Palav. Gorm. à num. 149. Stotz. hic. num. 76.* Ratio est, quia unum mortale non remittitur sine alio, & nullum remittitur sine dolore; si ergo unum non remittatur, eò quòd ad illud se non extendat dolor, etiam reliqua non remittentur; hinc si habeas peccatum dubium, vel aliud, quod ex justa causa nunc confiteri non teneris, debes de eo dolere, aliàs confessio est nulla & sacrilega, Dixi, *saltem implicitè*, quia opus non est, ut de singulis explicitè & distinctè doleas; neque opus est omnia distinctè cognoscere nisi in ordine ad confessionem, *S. Thom. q. 28. de verit. a. 5. ad 3. Suar. d. 4. s. 6. Dian. p. 3. t. 5. num. 118. Sporer à. num. 88.* Ratio est; quia quando adest vera contritio vel attritio cum Sacramento, statim eo momento sequitur justificatio, sed potest esse vera contritio vel attritio cum Sacramento, etiam si quis explicitè non cogitet de omnibus mortalibus à se commissis, ut per se patet, & restantur *S. Paginæ* plures, v. g. *S. Mariam Magdalenam, bonum Latronem, S. Paulum, &c.* per contritionem repentè fuisse justificados absque hoc, quòd tempus haberent peccata singula recogitandi; an verò Sacramentum pœnitentiæ defectu doloris universalis possit esse validum & informe, Scholasticis relinquo, quia plus habet difficultatis, quàm utilitatis.

18. §. Dolor (idem tenet de proposito) respectu venialium etiam suo modo debet esse efficax & universalis, aliàs non remittuntur omnia, sed tantùm ea, de quibus doletur efficaciter

cum

cum serio proposito ea deinceps non committendi. Si confitens mera venialia de nullo haberet dolorem & propositum efficax, certò peccaret mortaliter, quia redderet Sacramentum nullum defectu materiæ proximæ; non tamen videtur mortale, si confitens doleat de aliquibus, & non de omnibus; cum enim venialia sint materia libera, unumque illorum remitti possit sine altero, sufficit ad valorem Sacramenti efficaciter dolere de aliquibus. *Suarez. Lugo d. 14. §. 8. Metzger. d. 46. n. 4. num. 11.*

Dices, qui Sacerdoti inter plures hostias apponit unam non consecrabilem, v. g. hordeaceam, peccat mortaliter: ergo etiam qui ponit unum peccatum, in quod cadere non potest absolutio; deinde quo ad illud peccatum, de quo non doletur, falsificatur forma: *Ego te absolvo*, quod videtur gravis irreverentia. *R. N. C.* Forma consecrationis est demonstrativa, & de singulis hostiis dicit: *Hoc est Corpus meum*, quod falsificatur in hostia hordeacea, & exponitur merus panis adorandus, quod est idololatria; at forma remissionis non dicit de singulis peccatis, quòd remittantur, sed tantum: *Ego te absolvo*, hoc est, do gratiam de se remissivam omnium peccatorum, quod manet verum, etiamsi unum vel alterum veniale non remittatur, vel etiam subjiciatur mortale semel ritè confessum, vel antecederet remissum per contritionem.

6. Dolor debet esse sensibilis, non eo sensu, quòd debeat elici ab appetitu sensitivo, sed quòd debeat signo aliquo externo manifestari, quod fit per ipsam confessionem, rursus confessionem peccatoris, petitionem Confessarii, &c. Ratio est, quòd

quòd confessio debeat esse doloresa, & ut talis cognosci à Confessario, atque hoc fieri non potest, nisi dolor signo aliquo externo manifestetur; ergo.

20. 7. Dolor debet elici ex intentione confitendi, *Bonac. Dicast. La Croix num. 687. cont. Lugo Rasser, Tamb. Sporer, Mezger.* Ratio est, quia aliàs dolor non est actio Sacramentalis, nec censetur subijci formæ, tanquam pars materialis & determinanda, sicut ablutio facta sine intentione baptizandi, quamvis ex post referretur ad Baptismum, & adderetur forma, non esset pars Baptismi. Si dicas, ablutio est actio ministri, qui agit nomine Christi, ideòque specialiter debet poni ex intentione Sacramenti; dolor verò est actus suscipientis Sacramentum. *Contrà est:* Etiam actio suscipientis debet poni ex intentione Sacramenti; si enim ordinandus poneret contactum materiarum sine intentione Sacramenti, non ordinaretur validè, ergo nec validè absoluitur, qui non confitetur ex intentione Sacramenti; si enim ipsa satisfactio, quæ solùm est pars integralis, debeat poni cum ordine ad Sacramentum, ut dicam suo loco, multò magis dolor, qui est pars essentialis. *Dices:* Trid. nullam facit mentionem de dolore eliciendo ex intentione confessionis. 2. Dolor de peccatis ante Baptismaum non necessariò refertur ad Baptismaum, ergo nec dolor ad confessionem. 3. Dolor & propositum efficax includunt voluntatem servandi omnia præcepta, ergo & voluntatem confitendi implicitam, quæ sufficit. *Ad 1.* Tridentinum requirit dolorem, qui sit pars & materia proxima Sacramenti, qualis non est, nisi eliciatur ex intentione confitendi. *Ad 2. N. C.*

Dolor est pars Sacramenti Pœnitentiæ, non verò Baptismi, hinc non indiget per intentionem referri ad Baptismum. *Ad 2. N. C.* Sæpè elicitur dolor de peccatis, de quibus confitendis non est præceptum, qualia sunt venialia aut mortalia semel ritè confessa, adeòque dolor secundùm se est quid indifferens ad confessionem. Deinde dolor debet magis referri ad confessionem quàm ad alia præcepta, v. g. de Jejunio, de audiendâ Missâ, est enim pars Sacramenti, & pars debet referri ad partem; sed per voluntatem implicitam servandi omnia præcepta, dolor non magis refertur ad Confessionem, quàm ad alia præcepta; ergo requiritur alia relatio, scilicet ut eliciatur ex intentione explicitâ suscipiendi Sacramentum, neque de hoc in praxi potest esse dubium, quia agitur de valore Sacramenti. Quidquid sit de probabilitate sententiæ oppositæ.

8. Dolor & propositum debent præcedere ab-  
 solutionem, vel saltem ante ejus finem esse præ-  
 sentia, ut certum est; nam sine dolore & propo-  
 sito pœnitens non est dispositus, & absolutio non  
 potest ferri super indispositum. Dubium est, an  
 dolor debeat præcedere Confessionem? Affir-  
 mant *Suar. Con. Dicast. Laym.* quia Confessio  
 non videtur esse Sacramentalis, & dolorosa, nisi  
 procedat ex pœnitentiâ dolore tanquam causâ; &  
 dolor subsequens per Confessionem non potest  
 fieri sensibilis; nihilominùs dolorem posse subse-  
 qui Confessionem docet communis, & probat  
 praxis Confessariorum & Pœnitentium, qui con-  
 tenti sunt, si dolor eliciatur ante absolutionem;  
 Confessio est Sacramentalis & dolorosa ex hoc,  
 Z quòd

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

quòd fiat ex intentione Sacramenti & eliciendi dolorem ante absolutionem, unde & dolor per eam tanquam per causam fit sensibilis; quia tamen sententia opposita non videtur improbabilis, in praxi eliciendus est dolor ante confessionem, vel post dolorem accusatio in genere repetenda, dicendo: De his omnibus *doleo & me accuso, &c.*

22. 9. Dolor debet tempore absolutionis per se verare moraliter, ita, ut vi istius doloris adhuc censeatur pœnitere, quod tunc fiet, si dolor existat in se, vel in aliquo suo affectu; hinc communiter dicunt, hodie validè absolvi, qui heri ex intentione confitendi elicit dolorem, & ex illo proposito absque novo dolore confiterur; in dubio, an dolor defuerit, sub mortali renovandus est, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

23. 10. Dolor non debet esse revocatus, revocatur autem per novam complacentiam vel consensum in idem peccatum, de quo quis doluit, vel per quodcunque mortale; unde qui ante doluit de mortalibus, & post iterum peccat mortaliter, debet de novo dolere, quia per priorem dolorem non est amplius dispositus ad Sacramentum, & cessavit efficax propositum non peccandi hoc ipso, quòd de novo peccet. Sed quid si quis sub eodem motivo universalis, v. g. ob bonitatem Dei offensus simul doluit de mortalibus & venialibus; an ex post peccando venialiter non tantùm revocet dolorem quòd ad venialia, sed etiam quòd ad mortalia, ita ut sine novo dolore de mortalibus non possit ad Sacramentum accedere? Negant *Gorm Gobattus, Sporer num. 290. Stotz. l. 1. p. 2. num. 72.* quia ille dolor quidem sub eodem motivo



tivo tendit in omnia mortalia & venialia, sed inæqualiter; magis quippe detestatur mortalia, quam venialia, inter hæc magis graviora, quam minora, quia hæc magis opponuntur suo motivo bonitatis Dei; quam illa. Ergo quamvis per novum peccatum veniale revocetur dolor quòd venialia similia, non tamen quòd mortalia vel venialia graviora illo, quod de novo committitur; hæc sententia est probabilissima: at quia agitur de valore Sacramenti, non videtur mihi satis tuta, ideòque dolor de mortalibus breviter erit renovandus. Ratio est, quia ille dolor universalis est unus Physicè actus, indivisibiliter tendens in mortalia & venialia; ergo hoc ipso, quòd desinat quòd venialia, etiam desinit quòd mortalia. Respondent: Desinere actum Physicè, manere autem moraliter, quia voluntas manet habitualiter averfa à mortalibus: hoc quidem probabilissimum est, sed non satis certum. At quid, si post dolorem recorderis peccati mortalis ante non cogniti, an opus est de novo dolere? R. Si doluisti de solis venialibus, vel etiam de mortali ex dolore particulari, v. g. de ebrietate ob specialem ejus turpitudinem, opus est novo dolore; quia prior se non extendit ad mortale obitum, secus, si doluisti de mortalibus ex motivo universalis v. g. quòd gratiâ Dei excideris, infernum merueris; quia talis dolor etiam opponitur mortali obli-  
lito.

11. Quæstio est inter DD. an idem dolor Physicè præteritus sufficiat pro pluribus confessionibus? Affirmant *Henriq. Dicast. Sporer nu. 298. Mezger a 4. num. 7.* saltem si quis statim redeat, & iterum confiteatur peccatum, quod erat obli-

tus; quia sicut eadem materia potest successive constituere plura composita, sic & idem dolor moraliter perseverans plura Sacramenta; e contra negant *Vasq. Joh. Sanchez. Bernal.* quia duplex successiva absolutio non potest cadere super eandem confessionem præteritam, ergo nec super eundem dolorem; nam non minus dolor, quam confessio est de substantia iudicii Sacramentalis; item eadem absolutio non potest servire pro duplici Baptismo, ergo nec idem dolor pro duplici Sacramento; & certè si sufficiat dolor Physicè præteritus non revocatus, poterit quis indies confiteri, etsi ante annum doluerit, quod videtur absurdum. Utræque sententia est probabilis, ideo in praxi dolor iterum erit renovandus, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Dixi, *dolor Physicè præteritus*; nam si idem dolor Physicè perseveret saltem tenuiter seu virtualiter, & ordinetur ad novam confessionem, certò sufficiet, quia est quasi renovatus; committere autem fit, ut dolor ille tenuiter permaneat, si pœnitens statim recurrat, & confiteatur peccatum bona fide omis- sum.

25. QUÆR. VI. Quid de proposito? R.  
De hoc tenenda esse seqq. 1. Propositum est voluntas non peccandi de cœtero, & sicut ad Sacramentum pœnitentiæ indispensabiliter requiritur dolor, Sic & propositum. Et quamvis probabilius sufficiat propositum virtuale, inclusum in dolore universali, ut docet communis cum *Diana Gormaz. p. 1. numer. 486. Metzger d. 44. a. 2.* quia si quis verè doleat, & non cogitet de pro-

posi-

posito, neque de peccando in futurum, eo quod v. g. dolore sit abreptus, vel statim decapitandus, talis cum Sacramento videtur satis dispositus ad justificationem; in praxi tamen adhibendum est propositum *formale*, quo voluntas explicitè & seriò dicat, *nolo peccare in futurum*; quia agitur de valore Sacramenti & est incertum, an propositum virtuale sufficiat; nam Concilia *Florent.* & *Trid.* non minùs expressam mentionem faciunt propositi, quàm doloris, etsi sufficeret propositum implicitum, præter dolorem non requireretur propositum, quia ipse dolor est propositum implicitum, quod est contra communem sensum & praxin fidelium.

2. Propositum debet esse *Efficax* saltem quoad *affectum*, hoc est, vi illius debet pœnitens ita esse dispositus, ut mallet quolibet bono privari, aut quâvis pœnâ v. g. morte crudelissimâ affici, pœnas inferni sustinere &c. quàm denuò peccare; quia propositum secundùm *Trid.* debet absolutè excludere voluntatem peccandi, attamen ejusmodi comparationes facere periculosum est præsertim fragilibus; ideòque satis est, si quis defactò sincerè doleat & proponat, non attendendo, quid in hac vel illa hypothesi esset facturus: Vide quæ dixi *sup. num. 9.* dixi: quoad *affectum*, quia non necessariò debet esse efficax quoad *effectum*, hoc sensu, quod vi illius pœnitens reipsâ nunquam amplius debeat peccare; aliàs recidiva in peccatum, semper argueret insufficientiam propositi, quod apertè falsum est, cum existentia Prioris non

dependeat ab existentia posterioris. Itaque si ex-  
post iterum peccetur, inde fit, quod ho-  
mo ob suam inconstantiam prius propositum dese-  
rat, quo perseverante fuisset impossibile poni pec-  
catum.

3. Propositum debet esse *Universale*, hoc est,  
se extendere ad cavenda omnia mortalia, non  
solum quæ commissa sunt, sed & ad omnia  
possibilia S. Thom. *q. 87. a. 11. ad 1.* non tamen  
requiritur, ut propositum distinctè & explicitè  
extendat se ad singula, dicendo v. g. nolo deinceps  
furari, fornicari &c. nam etsi hoc lauda-  
bile sit; de se tamen satis est, si ratione motivâ

universalis efficaciter opponatur omnibus,

utî dixi de dolore sup. *num. 17.* qua-

liter propositum debeat esse ef-

ficax & universale respectu

venialium, dixi *ibid.*

*numer 18.*



## C A S U S XCVII.

De Materia remota, & integritate  
confessionis.

**K**arinus dubitat : 1. *Quae sit materia proxima*  
 $\S$  remota poenitentiae. 2. *An etiam peccata ante*  
*Baptismum commissa, an venialia, mortalia semel*  
*confessa.* 3. *Qualiter confessio debeat esse integra.*  
 4. *Quid integritas materialis  $\S$  formalis.* 5. *Qua-*  
*le requiratur examen.* 6. *Quid de peccatis indire-*  
*cte remissis.* 7. *Quid de confizente peccatum in ge-*  
*neris.* 8. *Quid de eo, qui dicit : Feci circuer*  
*oties.* 9. *Qualiter se explicare debeant consuetu-*  
*dinarii,  $\S$  quid si ex post peccatorum distinctus re-*  
*cordentur.* 10. *An teneantur fateri consuetudinem.*  
 11. *Qualiter explicandus numerus.* 12. *Quid si*  
*unum individuum dicatur pro alio.* 13. *Quid de*  
*actu externo ejusque effectu.* 14. *An explicandum*  
*medium  $\S$  finis.* 15. *An peccatum  $\S$  ejus pericu-*  
*lum.* 16. *An malitia, quam peccans apprehende-*  
*bat vel ignorabat.* 17. *An liceat querere Confes-*  
*sarium sua opinioni faventem.* 18. 19. 20. *Quid*  
*de circumstantiis aggravantibus.* 21. *Quid in du-*  
*bio positivo an peccaris mortaliter.* 22. *An confes-*  
*sus.* 23. *Quid in dubio negativo.* 24. *Quid de*  
*scrupulosis.* 25. *Aut iis, qui solent vel non solent sic*  
*peccare.* 26. *Quid de eo qui confessus est dubium ut*  
*certum, vel majorem numerum pro minore.* 27.  
*Vel certum ut dubium.* 28. *Quid si dixit totum*

peccatum, sed nescit, an sit mortale, vel veniale.  
 29. An ab integritate excusentur mutus, vel culpabiliter oblitus peccatorum, naufragi, milites in conflictu. 30. Quid de moribundo qui non scitur dedisse signum, vel dedit dubium, vel in absentia Sacerdotis, quid si sit confossus in duello vel adulterio. 31. An excuset periculum contrahenda pestis vel peccati. 32. An possit vel debeat dici peccatum cum manifestatione complicitis. 33. An excuset infamia vel confusio propria, vel magnus accursus populi. 34. Quid si pœnitens confiteatur Superiori unum reservatum, & alterum non reservatum. 35. An de peccato omissio vel oblito debeat quis dolere, & ex post confiteri. 36. Quid si pœnitens in confessione mentiatur. 37. An debeat dicere peccatum esse vel non esse confessum, quid si dicat non confessum esse confessum. 38. An dicat apud unum mortalia, apud alium venialia, vel volens generaliter confiteri aliqua omittat. 39. An aliquando debeat vel possit confessio fieri publicè, vel per interpretem. 40. An mutus debeat confiteri per nutus, &c. An debeant peccata scribi, ut non excidant. 41. An puella verecunda, agrotus, surdaster, possit peccata Confessario dare in scriptis. 42. Quid si confessio fiat ex fine inhonesto. 43. Quid si Confessarius dormitans aliqua peccata non intellexit; & nescias que. 44. Quid si aliqua confessiones sint invalida cum vel sine tua culpa. 45. Sed nescias que. 46. Quid si pœnitens dicat: A multis annis sum male confessus. 47. An dimittendus. 48. An repetenda confessio probabiliter valida. 49. An confessio jure Divino obliget per se in periculo vita, & sapius in vita, quando per accidens. 50. An obliget omni anno, an hereticos, pueros. 51. An habentem sola venialia; an per confessionem venialium sa-

is fiat precepto. § 2. An satisfecit confessus in vali-  
de, vel ille, cui injustè negata est absolutio. 53.  
An tempus annua confessionis currat à prima Janua-  
rii, vel à Paschate ad Pascha. 54. An confessio  
fit annexa tempori Paschali. 55. Quot peccata  
committat diu eam differens. 56. An teneatur præ-  
venire, qui exposit prævidet se impediendum. 57.  
Qui hoc anno non est confessus, an teneatur supplere  
anno sequente. 58. An per talem confessionem sa-  
tisfaciat pro annis præteritis, & presente. 59. An  
oblitus mortale teneatur illud confiteri eodem anno,  
& qua sit pœna negligentis confessionem annuam?  
Pro Resolut.

QUÆR. I. Quæ sit materia Sacramenti pœni- 1.  
tentia?

R. Materia ex qua & proxima sunt actus pœni-  
tentis, contritio, confessio, satisfactio. Flo-  
rent. Trident. sess. 14. c. 3. & 4. Ratio est,  
quia per hos actus materia remota seu pec-  
catum, proximè applicatur clavibus, &  
fit aptum absolvi. De contritione egi Ca-  
su præced. De satisfactione dicam Casu 101.  
de confessione in præsentia. *Materia ex quâ seu  
remota sunt peccata post Baptismum commissa:*  
Unde

1. Solæ imperfectiones v. g. quòd quis non  
responderit Divinis inspirationibus, non fe-  
cerit bona, quæ potuit, infregerit propositum  
vel regulam sub peccato non obligantem &  
similia, de se non sunt materia sufficiens abso-  
lutionis; ordinariè tamen habent adjunctum pec-  
catum levis negligentia, otiositatis, &c. idè-  
que Confessario utiliter exponuntur; addi tamen  
debet materia certa, v. g. veniale ex præteri-  
tis confessionibus, aut si materia certa haberi non

possit, absolutio solum danda est sub conditione.

2. Non sufficit peccatum existimatum, sed requiritur verè commissum; unde B. V. quia ab omni peccato immunis fuit, non fuit capax absolutionis.

3. Peccatum originale, & actualia ante Baptismum commissa, non sunt materia apta absolutionis *Trid. sess. 14. c. 1. 2. 4. 5.* quia non sunt peccata hominis subditi Ecclesiae, sed & remitti debent per Baptismum; ideòque pœnitentia dicitur secunda post naufragium tabula, ut si quis post Baptismum denuò peccato naufragus fuerit, per Sacramentum pœnitentiæ salvari possit.

4. Peccata venialia & mortalia semel ritè concessa sunt materia *sufficiens, sed libera*, ideòque sine culpa omitti possunt, quia non pugnant cum gratia; omne verò mortale nunquam ritè confessum est *materia necessaria*, seu ex præcepto Divino confitenda, etsi sit occultum & forsan contritione expiatum. Colliguntur hæc ex *Florent. & Trid. l. c.*

5. Ut peccata sint materia proximè sufficiens, debet non solum dolor, sed & propositum efficax super ea cadere, Hinc si confitearis mera venialia, & de nullo efficaciter proponas, confessio erit invalida, & sic confitens peccas mortaliter V. dicta *Cas. præc. num. 18.*

3. QUÆR. II. Quid circa integritatem confessionis?

3. 1. Confessio debet esse integra, ita, ut exprimantur omnia & singula mortalia, etiam merè interna post Baptismum commissa, quòad

nu-



numerum & speciem, ac circumstantias speciem mutantes. Est de fide ex Trident. sess. 14. cap. 5. can. 7. Si quis dixerit, in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure Divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, & quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, & circumstantias, quae peccati speciem mutant, &c. anathema sit.

2. Integritas alia est materialis, alia formalis 4.  
Confessio materialiter integra est, quae exprimuntur omnia mortalia nunquam confessa; formaliter integra est, in qua exprimuntur mortalia aliqua, et si alia ex invincibili oblivione, vel alia iusta causa omittuntur; haec est de necessitate Sacramenti, ita, ut, si quis invincibiliter omitteret omnia, aut confiteretur solos defectus naturales, confessio esset nulla defectu materiae remotae. Integritas materialis est tantum de necessitate praecepti Divini, a quo praecepto excusamur per inculpabilem oblivionem, vel per justam causam aliquid reticendi.

3. Confessioni sub mortali praemittendum 5.  
est diligens examen circa numerum & speciem; qui enim tenetur ad finem, scilicet confessionem integram, etiam tenetur ad media ordinaria, & necessaria, quale est diligens discussio conscientiae, non tamen requiritur diligentia summa; hoc enim humanae infirmitati foret intolerabile, & Sacramentum redderet odiosum; sed sufficit diligentia mediocris, qualem prudens adhibet in negotio gravis momenti, v. g. in disquisitione debiti pecuniarii, Scotus Suarez Laym. c. 8. n. 5. qui saepius confitentur, pro examine indigent mi-

minori tempore ; rudes & imperiti non tenentur ad tam exactam discussionem, sicut docti, & iuvare debent à Confessario : sed quid, si quis adhibita mediocri diligentia speret fore, ut sibi occurrant plura mortalia, si majorem & extraordinariam diligentiam adhiberet ? R. Ad extraordinariam diligentiam non teneri ; talis enim homo nunquam foret quietus, & adigeretur ad diligentiam summam contra supra dicta. Si quis omittat diligentiam mediocrem, peccat mortaliter, neque tunc sufficit peccatum omissum repetere, sed debet se accusare de neglecto examine, & insimul repetere omnia mortalia in ista confessione exposita, nisi Confessarius illorum adhuc remiscatur, quia confessio fuit sacrilega & invalida. Sed dices : Unde scio negligentiam in executianda conscientia fuisse graviter culpabilem ? R. Si negligenter te habuisti, & advertens ad obligationem ulteriùs inquirendi, non inquisivisti, vel advertere noluvisti.

6. 4. Ut confessio sit integra, debent exprimi omnia mortalia directè nunquam remissa ; illa autem dicuntur directè remissa, quæ fuerunt manifestata Sacerdoti habenti in ea jurisdictionem & impertienti absolutionem Sacramentalem : Peccata verò bonâ fide omissa vel reservata, remittuntur indirectè, quia omissa Confessarius non cognovit, & in reservata etsi confessa, non habuit jurisdictionem. Ratio est, quia cum unum mortale non remittatur sine alio, necesse est, ut si remittantur peccata ritè confessa, etiam remittantur peccata bonâ fide omissa vel reservata ; hinc peccata indirectè remissa dicuntur remitti ratione aliorum, cætera ratione sui ; per

consequens indirectè remissa vel inculpabiliter omissa aut oblita, debent de novo subjici Clavibus; ut remittantur directè; patet ex Prop. 11. ab Alex. VII. damnata: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vite, aut aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

5. Est obligatio confitendi speciem infimam mortalium, unde non sufficit explicare genus peccati, vel speciem subalternam, dicendo: Peccavi graviter contra Religionem; sed dicere debes: Semel blasphemavi, falsò juravi, tale votum infringi, &c. Similiter non sufficit dicere: Exposui me vel alium periculo peccandi graviter; sed debes explicare species peccati mortalis, cujus te periculo exposuisti: qui scit se mortale admisisse, v. g. affectui pravo consensisse, sed non potest reminisci in quâ specie, tenetur illud exprimere, prout cognoscit, nec opus est addere aliquod veniale, quia illud mortale genericum est materia sufficiens & necessaria, *S. Th. Nav. Suar. d. 23. s. 1.* Si homo rudis in genere tantùm dicat, se esse miserum peccatorem, vel se peccasse cogitatione, verbo & opere, nec aliud nequidem veniale ab eo extorqueri possit, extra mortis periculum non est absolvendus, & ita habere praxin testatur *Laym. c. 8. n. 7.* Ratio est, quia nemo censetur tam rudis, ut non possit aliquod peccatum saltem veniale in specie confiteri, v. g. verbum otiosum, mendacium, distractionem, &c. & fortè talis nullum in se peccatum agnoscit, sed ideò se solùm dicit peccatorem, quia audit omnes homines esse peccatores.

6. Qualiter peccata distinguantur specie, dixi *Cas. 7.* qualiter numero, *Cas. 8.* quæ necess-

cessariò hic sunt recolenda. Debet autem exprimi numerus certus, si sciri possit, qui scit, se fecisse octies, & dicit: Feci fortè, vel *circiter* octies, *plus minus*, &c. peccat mortaliter, nisi excuset ignorantia, bona fides, scrupulositas, &c. Quare Confessarius non debet passim istas phrasas admittere, præsertim ab iis, qui ante breve tempus confessi sunt, & adferunt peccata satis palpabilia, quia non edicere certum numerum in his, arguit defectum examinis. Qui certum numerum scire non potest, satisfacit dicendo verosimilem, addendo *circiter* vel *plus minus*, v. g. *circiter decies*; nam si tum reperias, te fecisse undecies, vel duodecies, non teneris hoc de novo confiteri, cum unum vel duo sufficienter censeantur includi, & exprimi in Tò *circiter* respectu decem, si confitearis *circiter vigesies*, in Tò *circiter* includentur tria; respectu centum includentur octo, novem vel etiam decem. *Tann*, putat eum satisfecisse, qui dixit *circiter vicies*, & ex post reperit fuisse tricies; *Vivald*. liberat eum, qui dixit: Feci *circiter centies*, etsi ex post meminere contigisse ducenties; at uterque nimium laxè, ideoque communiter rejiciuntur; & Ratio horum est, quia numerus, qui exprimitur in Tò *circiter*, debet esse vel absolutè parvus in se, vel parvus respectu numeri adjuncti, ita, ut parvus censeatur quasi absorberi in numero majori expresso, ut unum respectu quatuor, duo respectu decem, tria respectu viginti, quatuor respectu quadraginta, novem vel decem respectu centum, & sic proportionaliter, *Nav. Lug. Dian. p. 3. t. 4. R. 194.* Si quis dixit, feci decies, non addendo *circiter*, & ex post com-

periat certò contigisse undecies, vel de hoc dubitat, debet in proxima Confessione dicere, semel blasphemavi, vel de hoc dubito, quia hanc vicem non expressit, communis DD.

7. Qui habet consuetudinem deliberatè blasphemandi, pejerandi, fornicandi, si nec probabilem numerum peccatorum inire possit; debet saltem exprimere, quoties credat se in die, septimana, vel mense peccasse, aut si nec sit probabilem numerum dicere possit, satis erit exprimere tempus consuetudinìs, sic meretrix satisfaciet, dicendo: Tanto tempore admisi quosvis; enormiora tamen, quæ rariùs fiunt, debet exprimere, dicendo, quoties v. g. peccavit contra naturam, vel cum consanguineis, maritatis, voto astrictis, &c. hæc enim faciliè observari possunt: idem tenet de fure consuetudinario, qui si non possit dicere numerum omnium furtorum, saltem explicare poterit sacrilegia, rapinas, &c. concubinarius satisfaciet dicendo: Tanto tempore usus fui concubinâ velut uxore, *Lugo d. 16. n. 557. At quid? Si isti sic confusè confessi, postea magis distinctè recitentur de numero, & speciebus peccatorum commissorum, an non erit obligatio (de consilio nemo dubitat) eadem postea distinctiùs confitendi? R. Negativè cum Vasq. q. 91. a. 1. Lugo n. 563. Sporer n. 454. La Croix l. 6, p. 2. num. 934. Ratio est: quia per illam confusam narrationem peccata satis intellecta sunt à Confessario, ut ipotuerit de iis formare morale iudicium, & ab iis absolvere. Generaliter hic advertat Confessarius, ne suos pœnitentes nimium cruciet, & Sacramentum odiosum reddat, distinctiùs ab iis exigendo certum peccatorum*

nu-

numerum; sed magis satagat eis horrorem peccati incutere, & ad veram contritionem disponere.

10. 8. Tenebiturne consuetudinarius spontè fateri pravam suam consuetudinem? R. Si consuetudo sit causa, vel occasio proxima actuum objectivè malorum, v. g. perjuratorum, blasphemiarum, etiam si hi actus fortè propter inadvertentiam non sint peccata, tamen est sub mortali obligatio emendandi ejusmodi consuetudinem, aliàs illæ blasphemix & perjuria fiunt voluntaria in causa; & si causa seu consuetudo, ut potest, non emendetur, tenetur se spontè accusare de hac negligentia, *Suar. Laym. Dicast. a. 9. Diana p. 3. t. 5. R. 62.* Similiter qui per frequentatos actus advertit se contrahere consuetudinem, cum periculo in futurum relabendi, peccat dupliciter, nempe ipso actuali peccato, v. g. blasphemix, deinde etiam contrahendo consuetudinem, quæ erit causa proxima futurarum blasphemiarum, ideòque confitens dicere debet: Toties blasphemavi, & blasphemando advertenter induxi vel auxi consuetudinem blasphemandi, *D. D. c. c.* Deinde etiam est obligatio aperiendi consuetudinem, si Confessarius de eo interroget, uti certum est ex Prop. 58. ab Innoc. XI. damnata: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ratio est, quia Confessarius quæ Judex & medicus habet jus de eâ interrogandi, ut sciat an pœnitens verè & seriò emendare proponat; an sit in occasione proximâ relabendi, an, & quibus præservativis indigeat: quòd si Confessarius de consuetudine non interroget, neque ea de novo sit voluntaria, probabile est, quòd pœnitens eam non

non teneatur spontè aperire, *Lug. n. 202. Sporer n. 455. La Croix n. 968.* quia nemo per se loquendo tenetur bis aperire idem peccatum, sed præter peccatum de novo admissum fateri priorem consuetudinem est confiteri eadem peccata bis: ergo,

9. Qui uno actu tribus detraxit, tres numero malitias admittit in Confessione explicandas, <sup>11.</sup> non tamen debet dicere; Ter uni detraxi, hoc enim falsum est; sed dicere debet: Uno actu detraxi tribus. Econtrà qui per tres actus furatus est eidem tres ducatos, malè dicit: Furatus sum tres ducatos, quia tres actus faciunt tria numero peccata; qui verò uno actu furatur tres ducatos, satisfacit, dicendo: Semel furatus sum ducatos tres, nisi quilibet ducatus pertinerit ad distinctum hominem; hoc enim exprimi deberet, quia tunc sunt tria numero distincta peccata, cum lædantur tria distincta jura: similiter plura erunt peccata, si quis eodem actu plures intendat occidere, pluribus detrahere, sæpius fornicari, ideòque dicere debet: Tot volui occidere, tot detrahere, toties fornicari; item toties multiplicatur numerus peccati, quoties voluntas peccandi retractatur & reassumitur, ut explicavi *Cas. 8.* ubi etiam dixi, qualiter se explicare debeat, qui plures scandalizavit, qui uno impetu iræ eidem plura infixit vulnera, aut contumelias, imprecatus est distincta mala, plures falsitates eodem, vel eandem falsitatem pluribus perjuriis confirmavit, plures in statu disgratiæ absolvit, plures hostias consecravit, vel distribuit, plures articulos fidei eodem actu negavit,

A a

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

gavit, in distinctis materiis blasphemavit, &c.  
De speciebus luxuriæ V. Casu 11, à numer 3,  
de pravis affectibus, desideriis, cogitationibus,  
Cas. 9.

12. 10. Dicere unum individuum Physicum pro alio non obstat integritati, ut si dicas te occidisse Petrum, cum occideris Paulum, te fornicatum in Junio, cum factum sit in Majo, quia manet idem peccatum moraliter, nisi ratione diversitatis Physicæ accederet alia species malitiæ, v. g. Si Paulus occisus fuisset clericus, non autem Petrus.
13. 11. In Confessione etiam explicari debet actus externus, qui complet volitionem internam, seu pendet ab actuali libero influxu malæ voluntatis, eoque influxu cessante statim cessat, ut verbum contumeliosum, furtum, fornicatio, percussio, explosio sclopeti, &c. ut primum enim voluntas mandat, cessat locutio, furtum, &c. *Sporer numer 380. Plattell. hic numer 774.* Ratio est: quia tales actus externi sunt pars peccati consummati; cum ergo totum peccatum sit exprimendum, etiam talis actus externus exprimi debet; hinc non sufficit dicere: Vultui contumeliari, futari, fornicari, sed dici debet: Sum contumeliatus, furatus, fornicatus: aliud est de effectu ex tali actione directe vel indirecte intento & secuto, qui in suo fieri & esse non amplius dependet ab actuali influxu voluntatis, velut mors secuta ex tua explosione, vel exhibitio veneno, abortus ex pharmaco, ebrietas ex potu: talis effectus per te non est explicandus, *Lug. 4. 16. s. 9. Dian. p. 1. t. 7. R. 5. Gob. cas. 14. numer 351.* Ratio est: quia talis effectus non est pars peccati



peccati, [nec ampliùs pendet à tua voluntate, sed positâ liberâ & peccaminosâ explosione, & datione veneni, homo moritur, sive velis, sive nolis; & dum mors sequitur, non ampliùs peccas, aliàs posses peccare in somno, vel in cælo constitutus, si post explosionem indormisceres, vel pœnitens morereris,] ideoque tunc, per se loquendo, satis erit dicere; Ex intentione occidendi explosi, venenum præbui, consilium vel remedium dedi ad abortum, bibi animo me inebriandi, indormivi turpibus cogitationibus cum periculo præviso pollutionis, projecì Breviarium, prævidens me tanto tempore non posse orare Horas, tacendo an mors, abortus, ebrietas, pollutio, &c. secuta sint, nec ne. *Dixi, per se loquendo*, quia omnes latentur utilissimum esse, & subinde necessarium exprimere ipsum effectum, putâ homicidium, abortum, pollutionem secutam, ut Confessarius sciat, an subsit obligatio restitutionis, irregularitas, censura, reservatio, &c. Similiter explicari debet effectus secutus, quando adhuc est status libertatis, ut si quis per tactus vel turpes amplexus liberè in se causet pollutionem.

12. Si medium habeat distinctam malitiam à fine, utraq̃ explicanda est; hinc si furatus es, ut forniceris, non sufficit dicere, sum furatus, sed sum furatus animo fornicandi, etiã si fornicatio non sit subsecuta, quæ si sit secuta, etiã explicanda est, dicendo: Sum furatus ex intentione fornicandi secutâ fornicatione.

13. Qui se exposuit periculo v. g. fornicationis, si fornicatio statim sequatur, satisfacit, dicendo: Semel sum fornicatus, quia periculum

tunc non habet distinctam malitiam ob ipso peccato, et si periculum causatum sit per oscula vel tactus turpes; si peccatum sequatur in alia occasione, debes dicere: Semel per tactus turpes exposui me periculo fornicandi, & semel fornicatus sum.

16. 14. Peccata confitenda sunt, sicut erant in conscientia tunc, quando committebantur, unde si tum invincibiliter ignorabas, vel non advertebas ad malitiam actus, illam non contraxisti, quia nihil est volitum, nisi sit præcognitum. Econtra si apprehendas malitiam in actu, vel de ea dubitas, eam contrahis, et si reverà non inlit, hinc si putabas in die Jovis S. esse audiendam Missam, & non audias, peccas, & non satisfacis, dicendo: Die Jovis S. non audiui Missam, sed addere debes: Putans esse obligationem audiendi, non audiui. Similiter si bonâ fide putabas te peccare cum persona libera, quam postea audis esse conjugatam, malè confiteris, dicendo: Peccavi cum conjugata, quia Confessarius putabit te admisisse, formale adulterium; sed debes dicere: Peccavi cum conjugata bonâ fide credens esse liberam. Econtra si putabas vel dubitabas, an esset conjugata, in animo verum admisisti adulterium, et si post rescias fuisse liberam, ideòque non satisfacis, si dicas: Peccavi cum persona libera, sed addere debes: Quam putabam, vel de qua dubitabam an esset conjugata.

17. 15. Quærere Confessarium opinioni suæ faventem, per se malum non est, modò ducaris opinione verè probabili, & non agatur de valore Sacramenti. Ratio est, quia tunc verè es dispositus, & habes jus percipiendæ absolutionis à quo-

quocunque Confessario approbato; quærere autem Confessarium surdastrum, vel minùs doctum, est signum animi non satis dispositi; & si fiat ideo, quia times examinari quòd ad numerum & speciem, vel occasionem proximam, quam nolles vel difficillimè velles deserere, aut quia aliunde timeres tibi negandam esse absolutionem, confessio esset nulla & sacrilega, quia non es paratus præstare, ad quod justè es obligandus.

QUÆR. III. Quid de circumstantiis aggravantibus? 18.

R. Seqq. 1. Circumstantia in genere est accidens, quod peccato jam in certa specie constituto advenit; aliæ mutant speciem peccati, hoc est, addunt novam speciem peccati, distinctam ab ea, quam actus habet ex objecto, seu facit actum opponi novæ virtuti vel eidem distincto modo, prout explicavi *Caj. 7.* Sic furtum ex objecto opponitur soli justitiæ, ex circumstantia loci vel rei sacræ fit sacrilegium oppositum religioni, & quidem diversimodè; ex circumstantia violentiæ fit rapina novo modo opposita justitiæ; has circumstantias necessariò esse confitendas certum est ex *Trid. cit.* modò superaddat malitiam gravem; secùs si tantùm levem, ut si occasione gravis furti alium induxisti in leve mendacium, iracundiam, levem contumeliam, &c. *Circumstantia aggravantes* appellantur eæ, quæ malitiam actûs ex objecto desumptam, intra eandem speciem peccati aggravant seu majorem reddunt, non autem superaddunt novam malitiam specie distinctam ab ea, quam habet actus ex objecto, ut quòd furtum sit parvum vel magnum; ex his aliæ sunt *notabili-*

ter aggravantes, quæ videlicet multum augent malitiam, ut furtum mille florenorum respectu unius floreni aliæ non notabiliter aggravant, ut furtum duorum vel trium florenorum: major vel minor vehementia, & intensio actûs, passio, metus, &c. has non necessariò esse exprimendas ex communi resolvit *Dian. p. 1. t. 7. R. 8.* & quasvis parvas circumstantias exprimere foret onus intolerabile, & seges infinitorum scrupulorum.

19. 2. Circumstantias notabiliter aggravantes non necessariò exprimendas esse docet *S. Th. in 4. dist. 16. q. 3. a. 1. Scotus ibid. Bonav. D. Anton. Nav. Less. Vasq. ac novissimè Gobat Cas. 15. Reiffenst. 1. 14. dist. 7. nu. 49. Mezger. d. 4. 7. a. 4.* & propè innumeri apud *Bonac. d. 5. s. 2.* quamvis ipse sentiat contrarium. Ratio est 1. Non debet major obligatio pœnitentibus imponi, quam imposuit *Trid. Can. 7.* ubi ex professo agit de materia necessaria confessionis, & solum exprimit *Circumstantias, quæ speciem peccati mutant, additque, nihil aliud exigi à pœnitentibus:* Ergo: Et hoc ipso, quòd circumstantias aggravantes non annumeret materiæ necessariæ, censetur eas habere pro materia libera, sicut hoc ipso, quòd solum dicat, *omnia & singula mortalia* esse necessariò exprimenda, intelliguntur venialia esse excepta. Et certè *Trid.* non processisset doctrinaliter, sed mancè, dum enumerans omnia requisita, omisisset circumstantias aggravantes. 2. Difficillimum & vix possibile est judicare, quænam circumstantiæ notabiliter, vel non notabiliter aggravent, cum in hoc nec docti consentiant, an v. g. tres, sex vel decem floreni furtum notabiliter aggravent: ergo credi non potest, quòd Deus id

id fidelibus, præsertim rudibus, imposuerit; neque obstat, quòd circumstantia aggravans, v. g. furtum mille florenorum, sæpè notabiliter mutet iudicium Confessarii in ordine ad dictandam pœnitentiam, nam non mutat in ordine ad cognoscendum numerum & speciem, neque omnia exprimenda sunt, quæ majorem vel minorem pœnitentiam merentur, aliàs exprimenda foret actûs intensio, duratio, &c. Item an mortalia fuerint, vel non fuerint per contritionem vel confessionem remissa; imò omnes circumstantiæ minuentes, ut vehemens passio, metus, &c. quia certum est obinde augeri vel minui posse pœnitentiam. 3. Circumstantiæ tenentes se ex parte actûs, v. g. quàm intensus aut vehemens actus fuerit, quamdiu duraverit, non sunt necessariò explicandæ, ut fatentur plerique, quia sunt cognitu difficillimè: ergo nec circumstantiæ tenentes se ex parte objecti, v. g. an furtum sit decem, vel mille aureorum; quia sicut furtum mille aureorum æquivaleret mille furtis unius aurei, sic odium Dei continuatum per horam æquivaleret pluribus odiis intra eandem horam reperitis. 4. Alioquin etiam erit obligatio explicandi, an actus sit factus ex metu, passione; an persona, cui detraxisti, fuerit valde honorata; an ille, à quo furatus es duos aureos, fuerit dives, vel pauper; hæc autem sunt intolerabilia & contra sensum communem. 5. Ex dictis planum est de hac lege non satis constare; in dubio autem an existat lex, non obligat, ut cum communi dixi *Cas. 5. n. 17.* Neque lex hæc est sufficienter promulgata, cum eam negent doctissimi.

3. Econtra circumstantias notabiliter aggravantes necessariò esse explicandas docent *Cajet.*

Nav. Sylves. Sot. Salas, Laym. & plurimi apud Sanch. l. 1. Sum. c. 10. Bonac. l. cit. Dian. Ariaga d. 32. La Croix n. 977. quòd circumstantias tenentes se ex parte objecti consentiunt *Esparfa. Marchant. Sporer n. 409.* et si rationes æqualiter probent de omnibus. Ratio est 1. quia Sacramentum pœnitentiæ habet se per modum iudicii, in quo pœnitens est accusator & reus, Confessarius iudex & medicus: ergo pœnitens debet fateri ea, quæ Confessarius, ut Iudex & medicus, scire debet, & quæ notabiliter ejus iudicium mutant, cùm aliàs fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnitentiam, quam oportet imponere, inquit *Trid. c. 5.* Atque circumstantiæ multùm aggravantes, notabiliter mutant iudicium Confessarii, & longè alia pœnitentia debetur ei, qui mille ducatos furatus est, quàm qui unum, & qui per horam continuavit odium Dei vel oblectationem turpem, quàm qui per momentum: ergo. 2. Catechismus Romanus jussu Pii V. ad decretum *Trid.* editus, qui utriusque mentem *Trid.* optimè erit assecutus, clarè id asserit de *Pœn. c. 9.* Neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ peccatum circumstantiæ, & pravitatem valde augent, vel minuunt. Et quòd loquatur de circumstantiis aggravantibus, patet, quia id exemplificat in futuro centurum, & ducentorum aureorum. 3. Pœnitens debet spontè fateri id, quòd mutat peccati speciem moraliter, sive in æstimatione prudentum, ut colligitur ex *Trid.* sed id faciunt circumstantiæ notabiliter aggravantes: ergo. Prob. Min. Nam species peccati est quasi facies & apparentia, secundùm quam æstimari debet à prudentibus,

bus ; sed circumstantiæ notabiliter aggravantes, mutant apparentiam & æstimationem, quàm de peccato concipere debent viri prudentes. Prob. min. Furtum unius medii floreni & unius ducati notabiliter mutant apparentiam & æstimationem, cùm unum æstimari debeat veniale, aliud mortale, ut suppono : ergo multò magis apparentiam istam mutant furtum unius ducati, & furtum mille ducatorum, cùm sit major dissimilitudo inter unum & mille ducatos, quàm inter ducatum & medium florenum. 4. Magis mutat iudicium & æstimationem prudentum furari unum, & furari mille, quàm furari unum in loco profano, & alterum in loco sacro ; atque hæc mutant æstimationem, quia juxta omnes distinguuntur specie : ergo & priora. 5. Circumstantia speciem mutans ideo est exprimens, quia affert aliam & novam notabiliter malitiam ; si enim nullam affert malitiam, reticere potest, ut certum est apud omnes ; ergo si accedat nova notabilis malitia, etsi non sit formaliter alia species, erit obligatio confitendi. 6. Odium continuatum per horam æquivalet multis odiis completis numero distinctis, item furtum mille ducatorum æquivalet multis furtis unius ducati ; sicut ergo multa odia, vel furta formaliter numero distincta, necessariò sunt explicanda, sic & odia vel furta numero æquivalenter distincta. 7. Materia necessaria Confessionis necessariò debet exprimi ; sed circumstantia aggravans est materia necessaria : ergo. Prob. Min. Si non esset materia necessaria, ergo qui furatus est mille, non confitetur invalidè, si dicat se esse furatum unum aureum, quia furatus est unum, & quod reticet, juxta adversarios non

est materia necessaria; imò quamvis mentiatum, & dicat, se esse furatum tantum unum aureum, adhuc non invalidabitur Sacramentum, quia mendacium est tantum circa materiam liberam; consequens autem est absurdum: ergo. Hæc sententia videtur probabilior saltem quoad circumstantias facillè dignoscibiles, & multum aggravantes; si eas non dignoscas, per accidens excusaberis. Quòd Trid. clarè non expresserit circumstantias aggravantes, inde est, quia noluit definire sententiam inter Authores controversam; nihilominus sententia opposita est verè probabilis, & in praxi tuta, eamque sequens non exponit Sacramentum periculo nullitatis, sicut non exponit, qui ex justa causa, vel oblivione peccati speciem omittit; certum enim est sufficere confessionem formaliter integram, etsi non sit integra materialiter. An sit obligatio fatendi circumstantiam consuetudinis, dixi sup. num. 10.

QUÆR. IV. Quid de peccatis dubiis?

21. 2. Quandoque est, quandoque non est obligatio ea confitendi, juxta explicationes sequentes.

1. Dubium vel potest esse de ipso peccato, an illud admiseris, vel an admissum sit mortale, vel veniale, vel an illud sis confessus; circa hæc omnia potest in utramque partem esse dubium positivum, vel negativum; est positivum, si pro utraque parte sit motivum grave, seu probabile; est negativum, si pro neutrà parte sit motivum grave, sed nullum, vel leve, & insufficientes ad prudentem assensum; si pro unâ solum parte sit motivum grave, hæc sola erit positivè dubia.

2. Si



22. Si dubites positivè, an peccaveris mortaliter, vel an peccatum admissum sit mortale vel veniale, an consenseris plenè vel semiplenè, ita, ut habeas grave motivum pro & contra; juxta communem non teneris confiteri, etsi contra te sit gravius motivum, quia potes hic sequi sententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, juxta dicta *Cas. 3. n. 11.* & libertas est in possessione contra legem, quia ante illud dubium certò eras liber à lege confitendi, contra quam certitudinem superveniens dubium prævalere non potest, sicut contra legitimum possessorem agri non prævalet superveniens dubium de agri proprietate, & axioma juris: *Melior est conditio possidentis*, etiam extra materiam justitiæ locum habet, ut probavi *Cas. 2. n. 5.*

3. Si certus es, te admisisse mortale, sed positivè dubites, an sis vel non sis confessus, *Pal-lao, Sto2. n. 156. Mezger a. 3, Plat. hic n. 791.* & plures apud *La Croix n. 602.* adhuc dicunt, te non teneri confiteri, quia potes prudenter judicare te satisfecisse; sed probabiliùs est oppositum, quia lex confitendi est in possessione, & legi certæ non satisfit per solutionem incertam, ut probavi *Cas. 5. n. 18.* & ipse *Plat.* meritò suadet in hujusmodi dubiis confiteri, quia non rarò postea nascuntur anxietates animi, an adfuerint rationes verè probabiles an non.

4. Si habes grave motivum judicandi quòd admittis mortale, non autem contra, obligaris confiteri, quia non potes prudenter judicare te innocentem, nisi forsan certus sis, quòd non soleas ejusmodi peccata admittere.

5. Si negativè dubites, an mortale admis-  
tis, ita ut non habeas grave motivum pro exis-  
ten-

22.

23.

tentia peccati, neque contra, te non tenent confiteri docent *Caramuel. Marchan, Rosseller, Coning. d. 7. dub. 8. Stotz. à nu. 165.* quibus favet *Laym. l. 5. t. 1. c. 1.* Ratio est 1. Quia in dubio *nemo presumitur deliquisse, L. merito ff. pro suo,* & in dubio reus est absolvendus, vel maximè, si crimen nequidem semiprobari possit. 2. In dubio melior est conditio possidentis, etiam extra materiam justitiæ, ut ostendi *Cas. 2. n. 5.* atque negativè dubitans, an peccarit, est in possessione innocentia; si enim innocentia & libertas certò possidet, dum pro & contra admissionem mortalis est motivum probabile, ut habet communissima, cur non hic ubi pro existentia peccati nequidem est probabilitas, & libertas omnibus rebus favorabilior est, *Reg. Jur. 122.* 3. In dubio, an existat lex vel votum, non obligant; in dubio, an hoc vel illud comprehendatur sub lege, censeatur non comprehendendi, ut habet communis; atque hic est dubium, an sit lex, & an mortalia negativè dubia sub lege comprehendantur, ergo. 4. Illa sola mortalia confitenda sunt, quorum quis conscientiam, id est, cordis scientiam habet; sed de peccato negativè dubio non est conscientia, imò nec probabilis conjectura, ergo. Et si Trid. sub conscientia & memoria comprehendere memoriam dubiam de peccatis, etiam erit obligatio confitendi peccata positivè dubia, quod est contra communem. 5. Neque piorum consuetudo peccata dubia confitentium legem facit, quia etiam consueverunt confiteri venialia, & aliàs confessa, & consuetudo non facit legem, nisi inducta cum animo obligandi, de quo hic non constat. 6. Antiqui dum obligati

tionem confitendi alstruunt, vel non distinguunt inter mortalia positivè vel negativè dubia, vel æqualiter loquuntur de utrisque, aut ex eo probant, quòd in dubiis tutior pars sit eligenda, quæ regula non semper obligat, ut probavi *Cas. 2. n. 4.* sed potius *semper in dubiis benigniora preferenda sunt, Reg. Juris 56. item Reg. 9. semper in obscuris quod minimum est sequimur.* Neque obstat, quòd in dubio de homicidio quis censeatur irregularis, nam id expressè statuitur *c. ad audientiam de homic.* & in aliis dubiis non incurritur irregularitas, quia nullibi exprimitur. Ex dictis patet, hanc sententiam à *Gormatz.* & aliis immeritò dici improbabilem.

Nihilominùs peccata negativè dubia necessariò esse explicanda, docent alii ferè omnes, præsertim antiquiores; *S. Th. Bonav. Scotus;* *Nav. Suar. Sanch. Lugo, Bardi d. c. 11. p. 4.* Ratio est 1. quia id asserit Catechismus Românus *de Pœn. c. 9.* 2. Sic à tempore Apostolorum habet praxis, & communis persuasio fidelium, & solùm nuper ab uno vel altero Authore hæc res in controversiam vocata est. 3. Omnia mortalia recenleri debent, quorum quis conscientiam habet, *Trid. c. 5.* Atque peccata dubia sunt in conscientia ut dubia: ergo ut talia explicari debent. Conf. quia *Trid.* solùm excludit venialia, ergo includit mortalia dubia, quia exclusio unius est alterius inclusio, inquiunt Juristæ. 4. Confitens debet de peccatis dubiis dolere, aliàs exponit Sacramentum periculo nulliatis, ergo & confiteri. Nec obstat, quòd delictum in dubio non præsumatur, quia peccata dubia non sunt confitenda ex eo, quòd facta præsumantur, sed quia forsan facta sunt.

5. Lex confitendi negativè dubia non est incerta, ut volunt adversarii, quia eam asserit Catechismus Rom. & DD. antiquissimi, quibus in re pendente à sola voluntate Christi plùs credendum est, quàm paucis recentioribus; hinc *La Croix lib. 6. p. 2. n. 610* meritò dicit hanc sententiam absolutè esse probabiliorè.

24. 6. Scrupulosi non tenentur confiteri peccata dubia, sed solùm ea, de quibus constat quòd sint talia nunquam validè confessa, *communis*; quia eorum dubia plerumque sunt inanes apprehensiones, & obligatio confitendi dubia induceret eos in gravissimas molestias.

25. 7. Si quis dubitet an confessus fuerit cum debito dolore, proposito examine &c, Si in his soleat esse accuratus, est præsumptio pro ipso, ideoque non tenetur confessiones repetere: item qui non solet in hoc vel illud peccatum deliberatè consentire, in dubio potest prudenter præsumere, se non consensisse; item qui solet accuratè confiteri, aut qui semel confessionem generalem diligenter instituit, in dubio an aliquid omiserit, non tenetur se examinare, sed potest judicare se nihil omisisse, quia ex communiter contingentibus, prudens est præsumptio; solet autem communiter contingere, quòd tales nihil omittant: ergo. Nec obstat, quòd talis sciat se peccatum admisisse, & non meminerit se illud debitè esse confessum, vel esse confessum cum suo numero & circumstantiis: quia cum solitus sit accuratè confiteri, præsumptio est pro ipso, quæ per solam non reminiscèntiam non eliditur, cum sæpè non recordemur eorum quæ heri fecimus: econtrà si quis soleat facilè peccare in tali materia, vel conluevit se negligenter examinare, in dubio peccati

ti, aut non factæ confessionis, debet se resolvere pro lege & obligatione confitendi: unde meritò notant DD. rarò hic dari dubium merè negativum; vel enim quis solet accuratè confiteri, & hoc ipso habet motivum probabile judicandi pro se, vel non solet, & tunc habet grave motivum judicandi contra se; nisi fortè quis ignoret statum suum, vel dubitet, an sollicitè sua facere solitus sit. Hoc etiam hìc notandum quòd peccatum dubio semper addi debeat materia certa saltem venialis, de qua quis certò doleat, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis defectu materiæ; quòd si materia certa haberi non possit, absolutio danda est sub conditione.

8. Qui bonâ fide confessus est mortale dubium, tanquam certum, aut numerum majorem præ minore, si postea comperiat peccatum tantùm fuisse dubium, aut numerum esse minorem, non renetur de dubio aut numero minore se iterum accusare, quia peccatum dubium sufficienter includitur in peccato certo, & numerus minor in majore. Econtrà si confessus es numerum minorem, & non addidisti *circiter*. teneris confiteri numerum omissum, quia aliàs confessio non est integra.

9. Si mortale confessus es ut dubium, & postea invenias esse certum, te iterum teneri confiteri docent *D. D.* communissimè Ratio est, quòd peccata teneamur confiteri prout sunt in conscientiâ, ergo cum illud peccatum priùs dubium jam in conscientiâ tuâ certò factum cognoscas, jam tanquam certum confiteri obligaris; item: postquam peccatum certò cognoscis esse admissum, lex confitendi est certa; an autem satisfeceris, dum illud confessus es ut  
du-

dubium, est planè incertum, ergo adhuc satisficere teneris, confitendo illud nunc ut certum idè *Dicast. d. 9. dub. 2. num. 141.* dicit id esse indubitatum & contrarium inauditum in Ecclesia Dei, sed immeritò, quia *Leander, Arriaga, Caramuel, Bosco* & plures cum *Sporer num. 397.* valde probabiliter negant hujusmodi obligationem obligationes certè non contemnendas, nam 1. Qui confessus est peccatum ut dubium, jam confessus est peccatum totum, prout tunc erat in conscientia quòd species, numerum & circumstantias, & ab eo est directè absolutus; ergo quamvis superveniat certitudo, propterea non erit de novo confitendum: quia certitudo non tenet se ex parte peccati, quòd solùm explicari debet, sed ex parte intellectûs. 2. Absolutus de voto vel censurâ dubia, non tenetur iterum absolvi, quamvis ex post cognoscat votum & censuram esse certam, item in judicio forensi absolutus à crimine dubio non potest denuò vocari in judicium, etsi crimen ex post agnoscat certum, ut habet communis cum *Covar. Sanch. Tamb. l. 2. c. 1. nu. 25.* Ergo à pari hîc. 3. Et præcipuè: qui dubitat de numero, & ideo dicit: Feci circiter decies, si ex post certò cognoscat se fecisse undecies, non tenetur confiteri hanc undecimam vicem, atque hanc sub dubio tantùm est confessus, quia idem est dicere: Feci circiter decies, quàm, feci forsan decies: Ergo, *Lugo Dicast. Gob. fatentur*, hîc non posse dari disparitatem, & verè solida dari vix potest. 4. Obligatio confitendi hîc est incerta, ut patet ex adductis rationibus, & onus confessionis de se est satis gravè: ergo in dubio favendum est pœnitenti, ne Sacramentum fiat odiosum.

10. Si confessus es peccatum integrè, prout erat in conscientia, dicendo: Semel osculatus sum virginem, quod peccatum jam nescis, vel dubitas, an sit veniale, vel mortale, non teneris iterum confiteri, licèt postea tu vel Confessarius agnoscat fuisse mortale, *Stotz. num. 170. La Croix num. 619.*

QUÆR. V. Quæ causæ excusent ab integritate materiali, seu à dicendis omnibus & singulis mortalibus?

R. I. Excusat impotentia Physica, vel moralis. Impotentia Physica est, quando quis simpliciter non potest omnia peccata exprimere.

Ut 1. Si quis alterius idiomatis, vel mutus, qui satisfacit manifestando se permutus; nisi mutus possit se explicare scripto, tunc enim ad hoc tenebitur, ut dicam *num. 40.*

2. Absolvi potest, qui peccatorum omnium nunc recordari nequit, quamvis id fiat ex culpa antecedente, quia v. g. confessionem ultra annum distulit, modo de hac culpâ doleat, & exprimat mortalia, quorum post diligens examen reminiscitur.

3. Tempore naufragii vel imminentis prælii plures simul absolvi possunt, dicto saltem uno veniali vel mortali minùs infamante.

4. Moribundus sensibus destitutus si Confessarium petierit, aut signa pœnitentiæ, sive absente, sive præsentem Sacerdote, in ordine ad absolutionem dederit, absolvi potest & debet saltem sub conditione, si signa sint dubia, ut consilio pe-

Bb

Storis

etoris, invocatio alicujus Sancti, elevatio oculorum in cœlum, &c. idque videtur certum ex Concil. Arauf. Can. 12. Carthag. IV. c. 76. his verbis: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam.* Idem declaravit S. Leo Papa. c. his qui caus. 26. q. 6. & Paulus V. in Rituali Romano: *Ægrotus, si desiderium confitendi, sive per se, sive per alios, ostenderit, absolvendus est,* Neque obstat decretum Clem. VIII. (de quo Cas. seq. num. 8.) damnantis Confessionem factam Sacerdoti absenti; nam in hoc casu confessio aliquatenus fit Sacerdoti præsentem per alios tanquam per testes & interpretes; ac ipse Clem. Anno 1613. 16. April. coram Cardinale Bellarm. & Archi-Episcop. Armachano declaravit absolutionem hoc casu fore validam, & hunc casum Decreto suo non esse comprehensum. Ratio est: quia talis prudenter præsumitur esse dispositus; ergo charitas exigit, ut absolvatur. Si certum esset, quod ægrotus nullum dedisset signum externum doloris, absolutio dari non deberet, quia nulla adesset confessio, neque dolor sensibilis, quæ sunt de essentia Sacramenti. At quia semper incertum est, an non signum aliquod doloris datum, adedque aliqua sufficiens confessio facta sit, quamvis fortè nullus signum perceperit, hinc probabile est, quod in praxi sub conditione absolvi possit, imò ex charitate debeat moribundus Catholicus, etiamsi non sciatur ullum signum dedisse, *Barbos. in collect. ad Trid. sess. 14. c. 5. & plures apud ipsum, Quarti, Mezger. a. 6. n. 8.*



Gormatz num. 262. & plures apud La Croix num. 1162. Marchant. Pont. Herinx d. 3. num. 77. Bosco d. 7. s. 9. Sporer num. 648. & communis Schotistarum teste Reiffenst. t. 14. dist. 7. num. 70. Ratio sumitur non ex eo, quasi sola vita Christianè acta sit sufficiens Confessio, sed quòd ex tali vita prudenter præsumatur nunc dedisse, & adhuc dare aliqua signa per se sensibilia doloris, ut sunt suspiria, gemitus, apertio oculorum, fixus intuitus, &c. per quæ de facto forsan intendit significare dolorem de peccatis, & desiderium absolutionis, etsi nemo id intelligat: & certè plerique dant hujusmodi signa, & sani sunt ita dispositi, ut in tali necessitate dare velint, ergo morituri prudenter præsumuntur dedisse, ergo ex charitate sunt absolvendi; hinc Gorm. Carden. Stoz. n. 97. dicunt, Christianum in duello, vel adulterio confossum, si aliquamdiu supervivat, vix dimittendum esse absque absolutione, quia fortè prodest, nunquam nocet, & necessitas excusat ab irreverentia.

31.  
R. II. Excusat impotentia moralis, quæ tunc est, quando quis non potest omnia mortalia enumerare, sine valde gravi incommodo sibi vel alteri inferendo; unde excusatur.

1. Parochus, si tempore pestis non possit integras & prolixas Confessiones audire absque certo infectionis periculo, vel maximè, si in casu infectionis non possit habere successorem.

2. Excusatur, qui ex Confessione timet suum, vel alterius ruinam spiritualem, ut si scemina ex peccato turpi prudenter timeat à Confessario suspectæ famæ sollicitari, potest illud peccatum omittere; si alium Confessarium habere non possit, & Con-

fessio esset nimis diu differenda; item qui experientiâ novit, se labi in turpem consensum, si diu immoretur examini turpium, potest obiter examinatus, confiteri, etsi aliqua forent omittenda; similiter ab exactiori examine excusatur scrupulosus, ad arbitrium tamen Confessarii, *Laym. Spor. à num. 467.*

32. 3 Si non possis tuum peccatum, v. g. incestum cum sorore, vel sodomiam cum uxore explicare, nisi manifestando complicem, debes adire Confessarium ignotum, si commodè possis, aliàs sine causa infamas proximum; sæpè tamen exculantur uxores & matres, si peccata maritorum & filiorum indirectè tangant, quia id plerumque faciunt bonâ fide ad leniendum justum dolorem, & continuò adire novos Confessarios, illis foret nimis durum; meritò tamen ab hoc suaviter sunt dehortandæ, *Steph. La Croix num. 1145.* Si Confessarium ignotum commodè adire vel expectare non possis, potes & debes confiteri integrè, etsi infamandus sit complex, *S. Thom. Bonav. Palud. Cai. Vasq. Suar. d. 34. s. 4. Sannig. dist. 16. q. 6. Metzger a. 5. num. 7. Reiffenst. num. 57.* Ratio est, quia complex non habet majus jus ad suam famam, quàm pœnitens ad suam; sed pœnitens tenetur suum peccatum confiteri cum propria infamia: ergo. Et complex peccando cum eo, quem scit debere confiteri, censetur hoc ipso resignasse juri suo. Deinde si juxta *D. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2.* liceat peccatum alterius aperire confilii vel auxilii causâ, cur id non possit, aut debeat fieri ad servandam integritatem confessionis jure Divino præceptam? *Confirmatur.* Reus & testes legitimè à judice interrogati tenentur crimen fateri, tametsi socius criminis reveletur: Atque Con-

Confessarius est Judex, & pœnitens est reus & testis: Similiter potest Confessarius pœnitentem interrogare circa species peccatorum, & occasiones proximas, etsi per accidens deveniat in cognitionem complicis; imò potest cogere Confessarius pœnitentem ad peccatum complicis, vel cujuscunque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, & emendare, modò id necessarium sit ad præcavendum relapsum, aut damnum innocentis, vel Reip. tunc enim pœnitens ex lege charitatis ad hoc tenetur. Non autem expediet, ut Confessarius se offerat ad faciendam talem manifestationem, ne confessio fiat odiosa saltem apud alios; oppositum tamen, quòd pœnitens qui ignotum Confessarium commodè habere non potest, non teneatur fateri crimen cum infamatione complicis, est probabile, vel maximè tunc, si Confessarius sit superior, mala timenda sunt, *Laym. Palao pun. II. num. 6. Spor. n. 470.*

4. Sufficiens causa aliquod mortale omittendi non est infamia, aut confusio, quam subiturus est pœnitens apud Confessarium; nam hæc sunt confessioni intrinseca, & per se semper adjuncta, neque excusat concursus magnus pœnitentium; nam Innoc. XI. damnavit hanc 59. Prop. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos, ratione magni concursus pœnitentium qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, vel indulgentiæ.* Nec obstat, quòd aliqui prævideantur non facilè redituri, vel occasionem confessionis habituri, nam tunc teneretur quidem Confessarius hos præ aliis audire, & examinare, non tamen esset necessitas Physica, vel moralis

dimidiandi confessionem, nisi forsan Confessarius ob fatigationem non posset tales amplius examinare.

34. 5. Si pœnitens confiteatur suo Superiori, unum reservatum, aliud non reservatum, Superior tenetur ab utroque directè absolvere, quia pœnitens est ritè dispositus, & habet jus, ut ab utroque directè absolvatur, *Suar. Vasq. Palao pun. 15. §. 5.* Posset tamen Superior reservationem tollere absque absolutione, etiam extra Sacramentum, dando jurisdictionem Confessario ordinario.

35. 6. Qui instante periculo in genere est absolutus, aut ex justa causa vel oblivione aliquod peccatum omisit, tenetur de eo peccato, sive dubium sit certum, ante absolutionem sub mortali delere. Ratio est, quia unum mortale non remittitur sine alio, & mortalia omissa, vel dubia non remittuntur, nisi ad ea se extendat dolor, & propositum: ergo etiam cætera non remittentur, adeoque Sacramentum carebit suo effectu. Deinde qui bonâ fide peccatum, vel ejus speciem omisit, vel oblitus est, tenetur hoc supplere in confessione sequente. Patet ex Prop. 11. damnata, quam retuli *sup. num 6.* Hinc si furatus es, ut fornicareris, & ex oblivione solum dixisti: Semel sum furatus, debes in subsequente confessione dicere: Habui intentionem fornicandi; imò si species omissa non possit exprimi, quin exprimat totum peccatum, ad hoc teneris, v. g. ne manifestares complicem, dixisti solum fornicationem, tacendo de incestu, debes apud ignotum Confessarium, si habere possis, dicere: **Commisi incestum.**

QUÆR

QUÆR. VI. Qualis esse debeat confes-

sio ?

R. I. Debet esse *fidelis & sincera*, sine deceptione & mendacio, juxta explicationes sequentes.

1. Mendacium in ipsa confessione simul est sacrilegium contra reverentiam Sacramenti, mortale vel veniale, pro qualitate materiæ; qui mentitur circa materiam non necessariam confessionis, ut circa venialia, vel mortalia ritè confessæ, aut quæ quis confiteri non tenetur, ea falsò negando vel affirmando, peccat solùm venialiter: Est *communis*; quia non impedit Confessarium, quominùs rectè judicare possit circa substantialia, nisi veniale, quod falsò dicit se admisisse, sit tota materia confessionis, tunc enim Sacramentum foret nullum defectu materiæ.

2. Qui mentitur circa materiam necessariam, seu mortalia directè nunquam remissa, vel scienter, & malâ fide confitetur mortale dubium tanquam certum, vel certum tanquam dubium, vel numerum determinatum pro indeterminato, aut econtrà, aut plura mortalia, quàm re ipsa putat esse, peccat mortaliter, quia non confitetur integrè, vel saltem decipit Confessarium in re gravi spectante ad substantiam judicii, *communis DD.* Multi tamen excusantur per simplicitatem, & bonam fidem, qui malunt plus dicere, quàm minus; at si Confessarius hoc advertat, monere debet, ut nec plus, nec minus dicant, quàm sit in conscientia.

3. Pœnitens non tenetur exprimere, an mortalia, quæ de factò confitetur, sit vel non sit antehac confessus, sed ab utroque potest præ-

cindere. Ita contra plures *Suar. Tamb. l. 1. c. 1. Bosco à n. 173. Dicast. d. 2. nu. 294. Sporer nu. 370.* Unde in confessione generali potest miscere confessa non confessis; & si dubitet, an aliqua fuerint confessa, non tenetur dicere se dubitare: Ratio est, quòd juxta *Trid.* sufficiat exprimere speciem & numerum peccatorum; ad hoc autem nil facit, quòd peccata antehac fuerint, vel non fuerint per confessionem remissa, nec opus est de hoc judicare Confessarium, sicut opus non est judicare, an peccata antecederent fuerint remissa per contritionem, ut faterentur omnes; excipe, si inter nunquam confessa esset aliquod reservatum huic Confessario, vel Confessarius non perciperet speciem peccati, ut si putaret peccatum v. g. luxuriæ esse commissum ante votum, vel matrimonium, cum tamen commissum sit expòst. Econtrà qui dicit mortale non confessum fuisse antehac confessum, peccat mortaliter, quia valde pervertit judicium Confessarii, ut putet materiam esse liberam, quæ est necessaria, sicut si diceret veniale esse mortale, *Bosco, Castropalao punct. 10. n. 8. Moja d. 1. 9. 3 §. 2.*

38. 4. Confiteri apud ignotum mortalia, & expòst ad conservandam bonam æstimationem apud Confessarium ordinarium sola venialia, per se malum non est, modò adsit verus dolor & propositum cum animo deserendi occasionem proximam, si quæ adsit, quia talis utitur jure suo, *Suar. Mezger. Gorm. n. 151.*

5. Si quis dicat, se velle confiteri generaliter peccata totius vitæ, si aliqua aliàs confessa omittat, non peccat, quia potest mutare voluntatem; si verò, cum hoc diceret; habebat animum aliqua  
omit-

omittendi, fuit mentitus, sed in re levi, & materiâ liberâ.

R. II. Confessio ordinariè debet esse *secreta*. potest tamen ex justâ causâ, v. g. ad aliorum <sup>39.</sup> ædificationem, in conflictu, naufragio, &c. esse publica, *Trid. sess. 14. c. 5.* Ad hoc tamen non est obligatio, nisi fortè peccatum sit publicum, vel veniale non infamans. Item potest fieri per interpretem; ad hoc tamen non est obligatio, nequidem semel in anno, ut habet *communis D. D.* quia non constat de tali obligatione, & *Trid.* obligat tantùm confiteri *secretò apud solum Sacerdotem*: in articulo mortis plerique obligant ad confitendum per interpretem saltem unum veniale minùs infamans, ut sic à cæteris absolvatur indirectè, vel maximè si quis non sit satis securus de contritione perfectâ.

R. III. Confessio, nisi excuset necessitas, debet esse *vocalis*, quia *Concil. Florent. & Extrav. Bened. XI. inter cunctas de Privil.* requirunt Confessionem oris. Unde deduces sequentia.

1. Mutus nutibus vel scripto confiteri potest, & tenetur, quoties obligat præceptum confitendi; quia qui tenetur ad finem; tenetur ad media non nimis difficilia, atque tale medium est, scribere, & periculum evulgationis caveri potest statim exurendo scripturam; nemo tamen tenetur scribere peccata, ne memoriâ excidant, *Cajet. Suar. Sot. Tann. d. 6. q. 7. n. 27. La Croix n. 1193.* tum quia Confessio debet esse secreta, scriptura verò ex se est quid publicum, vel publicabile; tum quia non teneor nisi moralem adhibere diligentiam, ne peccata excidant, sed eam adhibere possum absque hoc, quòd peccata scribam, ergo.

Bb 5

2. Si

41. 2. Si puellæ supra modum verecundæ difficillimum foret peccata exprimere ore, posset Confessarius ejus Confessionem in scripto admittere & legere, modò puella post Confessionem dicat: *Accuso me & doleo de istis peccatis*, quod semper fieri debet in tali casu, *Suar. Vasq. Sa. Laym. c. 6. n. 3. Sporer n. 490.* idem à potiori tenet de eo, qui gutture laborat, & non potest nisi ægrè peccata proferre.

3. Si Confessarius sit surdaster, & non possit verba intelligere, nisi ita altè proferantur, ut audientes intelligere possint, posset Confessio tradi in scriptis; idem est, si ipse pœnitens surdaster nimis altè legat; modò se ex post voce accuset. Cæterùm qui absque rationabili causa nutu vel scripto confiteretur, ad minus peccat venialiter, juxta alios mortaliter, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ in re gravi.

42. R. IV. Confessio debet fieri ex fine honesto, quòd si fiat ex fine mortaliter malo, erit sacrilega, & nulla defectu doloris & propositi efficacis, quæ stare non possunt cum actuali peccato. Si Confessio fiat ex fine venialiter malo, puta ex respectu humano, vanâ gloriâ, &c. ordinariè erit valida, nisi (quòd rarissimè contingit) intentio venialiter mala determinet ad dolorem eodem instanti infallibiliter ponendum; tunc enim dolor non haberet libertatem & moralitatem distinctam ab actu imperante, adeòque cum actu imperans sit naturalis & inhonestus, etiam dolor talis erit, & per consequens non sufficiet ad valorem Sacramenti.

43. QUÆR. VII. Quid de repetitione Confessionis invalidæ?



2. Seqq. 1. Confessio potest esse invalida, vel defectu Confessarii, si hic ob censuram vel aliter, careat jurisdictione, si nullum peccatum intellexerit, si non adhibuerit debitam formam, intentionem, &c. vel defectu pœnitentis, ut si hic accesserit sine debito dolore vel proposito, si purè historicè, & non Sacramentaliter fuerit confessus, si ex malitiâ, verecundiâ vel gravi negligentia omiserit mortale, si sit mentitus circa materiam necessariam, &c.

2. Si aliqua peccata omisit ex justa causa vel invincibili ignorantia, vel Confessarius surdaster, dormitans, vel distractus aliqua non intellexit, absolutio fuit valida, nisi studio & malâ fide talem Confessarium quæsiverit; ideòque sufficit tunc repetere peccata, quæ bonâ fide omisit, vel oblitus fuit, vel scit Confessarium non intellexisse. At quid si pœnitens advertat, Confessarium aliqua peccata ob summum non intellexisse, sed nesciat, quæ? *44.* Per se debet omnia repetere, quia de singulis dubitat, & repetere non est moraliter impossibile.

3. Si quis advertat suam Confessionem undecunque fuisse invalidam, tenetur omnia ejus mortalia repetere, quia ab illis nunquam fuit directè absolutus; si tamen Confessarius peccatorum adhuc in confuso meminerit, sufficit, si apud eundem dicas: Accuso me de peccatis antecedenter confessis; satis autem eorum Confessarius in confuso reminiscitur, si in tantum meminerit, ut possit imponere proportionatam pœnitentiam, etsi omnium in particulari non recordetur, *communis D. D.* Si invaliditas tibi fuerit voluntaria, eò quòd accesseris absque debito examine cum affectu ad mortale, vel ex

ve-

verecundiâ mortale aliquod omiseris, teneris non tantum omnia mortalia repetere, sed & explicare, quoties sic accesseris, quia toties novum admisisti sacrilegium.

45. 4. Si scias aliquas Confessiones esse invalidas, sed nescias quas, teneris per se loquendo instituire Confessionem generalem saltem circa peccata, de quibus dubitas, an sis validè confessus, Ratio est, quia ab illis peccatis nunquam fuisti directè absolutus, ergo teneris illa iterum confiteri, instituendo Confessionem generalem, si aliter non possis; nam ab hac obligatione nemo excusatur, nisi per impossibilitatem moralem, qualem ordinariè non importat Confessio generalis.

46. 5. Si Pœnitens dicat: Hactenus non rectè confessus sum, habeo peccatum è juventute, quod hactenus confiteri erubui, &c. non statim judica omnes Confessiones esse invalidas, aliàs te, & ipsum sæpè inutiliter torquebis; sed ante omnia interroga, an tunc, quando illud factum committebat, sciverit vel putaverit esse peccatum, vel an postea priùs cognoverit, & sæpissimè audies: *Mi Domine, adhuc puer vel juvenis fui, non putavi, non intellexi, nuper primum in Confessione, Catechismo, vel discursu audivi.* Jam salva res est, quia nulla Confessio est invalida, aut repetenda, nisi ab illo tempore, quo scivit, vel erroneè putavit aliquid esse peccatum, & tamen confiteri erubuit, vel malitiosè neglexit. Si fateatur se jam scivisse vel putasse esse peccatum, interrogandus erit, quoties memor hujus peccati illud in Confessione omiserit, & an omittere, & tali peccato omisso communicare, sciverit, vel saltem dubitaverit esse

esse grave sacrilegium ; si affirmet , numerum Confessionum , & Communionum exprimere , ac Confessiones istas repetere debet , quia quot Communiones & Confessiones fecit , tot commisit sacrilegia ; quando autem bonâ fide confessus fuit immemor istius peccati , ac ita comparatus , ut illud confiteri voluisset , si memor fuisset , vel bonâ fide credidit , quòd omittere non sit peccatum mortale , tenetur solum peccatum omissum confiteri , quia de aliis fuit validè & directè absolutus ; at quid si pœnitens sciverit quidem , quòd reticere peccatum esset malum , sed in confuso non cogitando , vel suspicando , an mortale vel leve , ut contingit quandoque in rudibus , rusticis , plebeis , pueris , &c. potes judicare tantum peccâsse venialiter , juxta dicta *Casu 1. num. 11.* ideoque nec tunc erit obligatio repetendi ; si tamen pœnitens fateatur , se ante vel post confessionem & Communionem valdè fuisse anxium ob peccatum none confessum , ut communiter fit , signum est ipsum apprehendisse malitiam gravem , & per consequens Confessiones esse invalidas & repetendas .

6. Si advertas , pœnitentem à 10. 20. 30. 47. aut pluribus annis sacrilegè esse confessum , per se loquendo teneris eum absque absolutione remittere , ad se examinandum & præparandum pro Confessione generali tot annorum , quia moraliter est impossibile tam brevi tempore tot annorum peccata , quòad numerum & speciem , reminisci ; per accidens tamen vix unquam dimittendi sunt , nisi ex tenetudine conscientiæ , vel aliis indiciis omninò credas , eos ad te vel ad alium Confessarium pro Confessione generali

re-

rediturus ; plerique enim vel non satis intelligunt obligationem repetendi omnia peccata, sed putant sufficere ; si repetant sola omissa, vel sunt ita rudes , ut se pro Confessione generali examinare non possint, vel saltem videtur hoc iis adedò difficilè, ut semel dimissi non redeant, sed pergant diminutè, & sacrilegè confiteri, ideo ne præda. Hæcelabatur, Confessarius talibus ante omnia ob oculos ponat enormitatem tot sacrilegiorum, præsentissimum animæ periculum, excitet ad serium & efficacem dolorem, ac propositum, ad fiduciam in Divinâ misericordiâ ; adjuvet in examine per Præcepta Decalogi, attentis circumstantiis conditionis, negotiorum, occasionum, &c. Deinde si ita conveniens videatur, & conditio pœnitentis patiatur, dimittat eum, ut se per horam vel mediam ulterius examinet, ante Communionem rediturus pro obtinendâ absolutione : quia tamen nec sic possibile est ; ut omnes species & numeri peccatorum enumerentur integrè, absolvat cum eâ monitione, ut si postea adhuc aliqua incidant mortalia solùm sacrilegè confessa, ea denuò clavis subiciat.

48. 7. Si confessio sit probabiliter valida, plures & graves A. A. universaliter docent tunc nunquam esse obligationem eam repetendi ; Rationem dant, quia probabile est illa peccata semel esse legitimè confessa, & in dubio standum est pro valore actus, neque ulla lex obligat ad bis confitendum idem peccatum, neque Sacramentum exponitur periculo nullitatis, nam quamvis fortè prior confessio sit nulla, priora tamen peccata certò remittentur indirectè per confessionem

subsequentem, modo dolor sit universalis, etiam ad priora mortalia se extendens. Nihilominus oppositum mihi videtur verius, eo quod legi certæ regulariter non satisfiat per solutionem incertam aut solùm probabilem, nisi satis constet legislatorem tali solutione esse contentum, at de hoc non semper constat & plurimi DD. id probabilissimè negant ergo. V. *Casu 5. numer 18.*

QUÆR. VIII. An & quando sit obligatio 49. confitendi ?

1. Dari præceptum Divinum confitendi peccata mortalia, est de fide contra modernos hæreticos, *Trid sess. 14. Can. 6.* Hoc præcepto obligantur omnes post Baptismum in mortale lapsi per se & præcipuè in articulo vel periculo mortis, sive hoc sit ex morbo, sive ex imminente conflictu, navigatione, vel partu periculoso, sive extremo supplicio; quia finis præcepti est, ut homo reconcilietur Deo, & sit extra periculum damnationis, quod maximè urget in mortis periculo; hinc si quis post confessionem in eodem periculo iterum peccet mortaliter, tenetur iterum confiteri, etsi non teneatur iterum communicare; neque teneatur statim confiteri post periculum, si tunc neglexit, quia solùm tenebatur ratione periculi, ergo hoc cessante cessat obligatio.

2. Hoc præceptum etiam obligat sæpius in vita, *Navarrus Metzgerus D. 47. a. 1. La Croix. num. 2020. contr. Sot. Lugo, Sporer.* Ratio est, quia Christus confessionem instituit, ut homines per eam deterrerentur & præservarentur à recidiva: Atqui hoc fieri non potest, si pecca-

tores non confiteantur sæpius in vita : ergo. Confes. Qui aliquid præcipit , & non determinat tempus , vult non differri nimis diu , nec expectari tempus extremum , & confessio in lege gratiæ succedit in locum contritionis ; ergo sicut hæc aliàs obligabat sæpius per vitam , sic & nunc confessio ; deinde Ecclesia non tulit legem confessionis , imò fortè nec ferre potuit ob nimiam ejus difficultatem , sed solùm determinavit tempus obligationis à Christo impostæ ; at hoc dici non posset , si lex Christi se solùm extenderet ad articulum mortis , quia tunc per se erat obligatio absque determinatione Ecclesiæ : ergo.

3. Per accidens obligat hoc præceptum illum , qui est in mortali , & vult vel debet communicare vel sacrificare , quia tunc non sufficit elicere contritionem , ut dixi *Cas. 92. num. 31.* etsi contritio sufficiat ad alia Sacramenta , teste Clem. VIII. *in Rit. Rom.* & communissima , T. T. quia de hoc nullum extat præceptum. Item per accidens obligat eum , qui aliter quàm per frequentes confessiones consuetudinem mortaliter malam , v. g. pollutionis , vincere non potest. Item si confessio requiratur tanquam conditio ad dispensationem voti vel impedimenti in contracto matrimonio , &c. tunc enim qui beneficio dispensationis frui vult ; etiam necesse habet implere conditionem requisitam sive confessionem.

50. R. II. Etsi Christus ipse præceperit confessionem , quoties tamen fieri debeat , determinandum reliquit Ecclesiæ , quæ præcepit , ut fiat singulis annis , *Trid. c. 5. Omnis utriusque sexus*

fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata jaltē semel in anno fideliter confiteatur Sacerdoti proprio. Ubi nomine Sacerdotis proprii venit Parochus, Episcopus, Papa, & habentes privilegium, velut Regulares Mendicantes, & cum iis communicantes, ut constat ex Bulla 22. Leon. X. dum inter mentis arcana, extrav. Joan. XXII. Vaselectionis. Neque Parochus prohibere potest, ne sui etiam in Paschate Mendicantibus confiteantur. Ex dictis pro praxi deducēs sequentia.

1. Hoc præceptum obligat hæreticos utpote subjectos Ecclesiæ; item pueros in mortali constitutos; hoc ipso enim, quòd peccârint mortaliter, habent sufficientem discretionem, ut præviâ sufficiente instructione circa substantialia Sacramenti, teneantur confiteri.

2. Hoc præceptum non obligat eos, qui habent sola venialia, *Trid. l. c.* quia finis præcepti est, ut recuperetur gratia per peccatum amissa: sed per venialia non amittitur gratia: ergo; meritò tamen urgent Parochi, ut quivis adultus semel in anno confiteatur, etiam si dicat se non habere mortalia, tum quia hoc est incertum, & alii fortè scandalizantur, tum quia sic habet timoratorum consuetudo, & datur major gratia, & mortale, si quod fortè incognitum adsit, remittitur indirectè.

3. Neque satisficit huic præcepto, confitendo sola venialia, quia de his non est præceptum, hinc qui tempore Paschali, vel toto tempore confessus est sola venialia, si ultimo die anni incidat in mor-

C c

ta-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

tale, obligatur adhuc confiteri, quia præcepto annuæ confessionis nondum satisfecit, & adhuc satisfacere potest, *Lugo d. 15. / 7. Dian. p. 4. t. 4. n. 206.*

52. 4. Huic præcepto non satisfit per confessionem, sive cum, sive absque culpâ invalidam, quia confessio invalida non est confessio, neque per eam obtinetur finis præcepti, unde *Alexand. VII. benè damnavit Propol. 14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ: neque excusatur à novâ confessione ille, cui justè vel injustè negata fuit absolutio, quia hîc præcipitur Confessio, quæ sit Sacramentum, qualis non est, nisi securâ absolutione.*

53. 5. Tempus annuæ Confessionis *Sot. Nav. Suar. Tann. Laym. Sporer num. 533.* computant à Paschate ad Pascha, & ita habet fidelium usus. *Econtra Lugo. Nugn. Bosco. Diana p. 3. t. 4. R. 81.* computant illud à prima Januarii ad ultimam Decembris, & juxta hos confessus primâ Januarii 1724. licitè differt confessionem usque ad ultimam Decembris 1725. ita ut duo integri anni sine confessione transeant, dempto unico die, hoc displicet *Sporer l. c.* Sed idem dicere debet, etiamsi annum confessionis numeret ab uno Paschate ad aliud; nam confessus in Paschate anno 1724. non tenetur sequente Paschate confiteri, nisi fortè propter Communionem, sed potest expectare finem anni; quia obligatio confitendi non est annexa tempori Paschali; ut jam dicam, sed satisfieri potest per totum annum, per consequens current duo serè anni sine confessione, unde alii numerant hunc annum ab ultimâ confessione, vel à primo peccato mortali, sed



sed rectè confutantur à Lugo. d. 15. numer  
154.

6. Præceptum annuæ confessionis est distinc- 54.  
tum à præcepto Communionis, quia distinctam  
habet materiam, utilitatem & finem, ut per se  
patet; & obligatio confitendi non est annexa  
tempori Paschali, sicut Communio; sed est pro  
toto anno; nam *Concil Later. & Trid.* di-  
cunt, Communionem debere fieri in Paschate,  
confessionem verò saltem *semel in anno. Sot. Sa.*  
*Tanner. Sporer. La Croix l. c.* Ratio est, quia  
confessio præcipitur ad delendam culpam mor-  
talem, quæ cum possit admitti quovis anni tem-  
pore, congruum fuit, confessionem certo tem-  
pori non alligari; hinc legitimè impeditus à su-  
mendâ per annum, vel in Paschate Eucharis-  
tiâ, non ideo deobligatur à faciendâ confes-  
sione; item, qui in Paschate sine confessione  
communicavit, eò quòd nullam haberet gra-  
vioris peccati conscientiam, si postea peccet  
mortaliter, tenetur confiteri; ècontrà qui in  
initio anni confessus est mortale, non tene-  
tur iterum confiteri eodem anno, etsi de no-  
vo peccet.

7. Quò diutiùs differtur ultra annum con- 55.  
fessio, eò peccatur graviùs; *Suarez. Vasquez.*  
*Bonac.* dicunt, te tot peccata admittere, quot  
habes occasiones confitendi: id negant alii; in  
praxi satisfacis, dicendo: Tanto tempore non  
sum confessus; nisi voluntas non confitendi ali-  
quoties fuerit revocata & reassumpta, toties enim  
peccata multiplicantur numero, ut dixi *Casu 8.*  
*num. 2.*

7. Qui prævidet se postea non posse confiteri 56.  
mortalia, vel reservata habenti potestatem, te-

netur prævenire, sicut, qui non potest audire Missam serò, debet audire maturè; qui non potest orare Horas à prandio, tenetur manè, quia tum adest tempus præcepti, & impleri potest: ergo debet.

57. 9. Qui hoc anno non est confessus mortalia, tenetur ab initio anni sequentis: ita multi contra multos; Ratio est, quia annus positus est ad urgendam confessionem, ne nimium differatur, non autem ad terminandam obligationem, ut à pari patet in mutuo ad certum tempus, & in Communione Paschali, de qua vide *Cas. 92. num. 28.* Dices, qui hodiè non oravit Horas, vel non audivit Missam, non tenetur cras, quia obligatio est alligata diei; sed obligatio confitendi etiam est alligata anno: ergo. *R. N. Min.* Disparitas est, quòd anno elapso non cesset finis præcepti confessionis, qui est reconciliatio cum Deo; contra lapso die cessat finis orandi Horas, qui erat sancta occupatio Clerici pro ista die; item cessat finis sanctificandi istum diem per Missam.

58.

10. Qui multis annis non est confessus, hodie confitendo satisfacit pro omnibus annis præteritis, quia per unam illam confessionem obtinet finem præcepti, qui est gratia & remissio omnium mortalium; si tamen ante finem hujus anni adhuc peccet mortaliter, tenetur pro hoc anno confiteri, quia prior confessio est pro anno præcedente; sicut si initio hujus anni solvas pensionem pro anno elapso, non liberaris à pensione anni præsentis, quia annus non est ad finendam, sed urgendam solutionem.

11. Si

11. Si hoc anno confessus, unum mortale 59.  
bonâ fide oblitus es, vel etiam sciens ex justa causa mortale omisisti, non teneris illud peccatum iterum hoc anno confiteri, aliàs si decies recorderis peccati, obligareris uno anno confiteri decies, & per primam confessionem jam obtinisti finem præcepti. Excipe, nisi confessus fuisses sola venialia, quia hæc non cadunt sub præcepto, vel cum venialibus sola reservata apud non habentem potestatem, tunc teneris iterum confiteri si in mortale lapsus es; quia nundum es confessus mortalia, vel non es confessus Sacerdoti proprio, id est, habenti potestatem absolvendi.

12. Qui spontè negligit confessionem vel Communionem, vivus arcetur ab ingressu Ecclesiæ: mortuus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, *c. omnis utriusque sexus, de pœnit.* intellige post sententiam Superioris Ecclesiastici.



## C A S U S X C V I I I .

De forma Absolutionis, ejus-  
que Ministro.

**L**ivius Pastor 1. In forma absolutionis omittit aliquando preces adjunctas, τὸ Ego & τὸ tuis. 2. Vel utitur solum his: Absolvete, vel: Absolvo vestram dominationem. 3. Putat formam verificari non posse de peccatis semel remissis. 4. Absolvit sub conditione. 5. Repetit absolutionem, quoties pœnitens quid novi affert. 6. Absolvit non absolutum à censuris, vel inscium sua excommunicationis. 7. Absolvit complicem. 8. Dubitat, an possit absolvere absentem, ve eum, qui misit peccata in scriptis. 9. An eum, qui distractus sine absolutione recedit, & adhuc est in Ecclesia, vel obviat in platea; an agrotum ante edes. 10. Quid si Confessarius non sit plenè ordinatus, vel in peccato. 11. Quae scientia requiratur in Confessario. 12. Quid si dubitet de sua habilitate. 13. 14. Quid observandum Confessario circa rudes. 15. Adolescentes. 16. Ebriosos. 17. An possit negare vel differre absolutionem. 18. Quid si pœnitens sit in occasione peccandi. 19. Quid de consuetudinario. 20. Quid de molli emendationem desperante. 21. Quid de fornicario privato & publico. 22. Quid de recidivo in venialia. 23. Quid si Confessarius erravit, dcendo, contractum, votum, matrimonium esse invalidum, cum tamen sint valida, vel contra; an erraus circa obligationem restitutionis

nisteneatur ipse restituere; quid si sit Religiosus?  
24. Qualiter pœnitens ad dolorem excitandus.  
25. Qualiter moribundus obstinatus. 26. Quæ  
remedia contra relapsum. 27. Contra peccata  
venialia. 28. Contra septem capitalia Pro Re-  
solut.

QUÆR. I. Quid circa formam Sacramenti pœ- 1.  
nitentiæ, ejusque sensum.

2. Seq. 1. Forma est ipsa absolutio, quam  
dat Sacerdos pœnitenti, consistit integraliter, &  
prout usurpatur ab Ecclesia, in his verbis: *Ego  
te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, &c.*  
præmittitur *Misereatur*; deinde elevatâ manu ad  
pœnitentem dicitur: *Indulgentiam &c.* sub-  
jungitur: *Passio Domini, &c.* Hæc verba,  
uti & antecedentia, solùm sunt de consilio; omit-  
tere in forma tò *Ego*, vel tò *tuis*, vel *in nomine  
Patris, &c.* ad summum est veniale, quia *Ego*  
satis exprimitur in *absolvo*, & tò *tuis* in particu-  
la *te*, & invocatio sanctissimæ Trinitatis, & fig-  
num Crucis additur solùm ex consuetudine Eccle-  
siæ, *Laym. c. 3. & Rituale Rom.* pro forma in ne-  
cessitate assignat sola verba: *Absolvo te ab om-  
nibus censuris & peccatis*, ubi tò *omnibus* non est  
de præcepto; imò juxta aliquos omitti debet,  
quia sæpè non remittuntur omnia venialia. Hæc  
tamen ratio non ligat, quia tò *omnibus* habet  
hunc sensum: ad quorum absolutionem es dis-  
positus.

2. Forma essentialis juxta *D. Thom. p. 3. q. 84. 2.*  
*q. 3. Scot. in 4. d. 14. q. 4.* & communioem T. T.  
consistit in solis verbis: *Absolvo te*; tum quia  
ea sola exprimit Conc. Florent. & Trident. *Sess. 14.*  
*c. 3.* Tum, quia hæc verba se solis exprimunt  
personam judicis, personam rei, & ejus absolu-

tionem; & circumstantia personæ confitentis peccata sua satis determinat, & significat absolutionem Sacerdotis cadere super peccata illius, licet id verba *Absolvete* per se non exprimant. Plures hanc sententiam dicunt esse certam, sed immeritò; nam ad essentiam formæ requiri hæc quatuor: *Absolvete à peccatis*, valdè probabiliter docent *Palud. Sotus Wiggers, Bosco, Gormatz.* & alii apud *La Croix. num. 633.* Ratio est, quia Christus *Joan. 20.* instituens hoc Sacramentum expressam fecit mentionem peccatorum, *quorum remisistis*; ergò sicut ex hoc, quod Christus instituens Baptismum, expressam mentionem fecerit baptizantis & baptizati, item Dei unius & trini, omnes docent hæc determinatè significari debere per formam Baptismi, & non solum per circumstantias, ita in forma pœnitentiæ exprimi debet *absolutio à peccatis*, idque innuunt *Flor. & Trid.* per tò *Ec. cum dicunt*, formam consistere in *Absolvete Ec. Conf.* Forma pœnitentiæ debet significare remissionem peccatorum, sed tò *Absolvete* non significat remissionem peccatorum, quia illa verba sunt indifferentia ad significandam remissionem vel censuræ tantum, vel peccati tantum; sicut tò *comedo* est indifferens ut significet comestionem piscis vel carnis; si dicas, verba determinari per circumstantiam factæ confessionis & intentionem Ministri; contrà est: Christus non assumpsit circumstantias, sed verba ad significandum effectum Sacramentalem; & forma Extremæ Unctionis essentialiter exprimit peccata, dicit enim: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, Ec.* Ergo multò magis requiretur hoc ad formam pœnitentiæ, quæ directè ad remissionem peccatorum instituta est. Deinde si sufficiat peccata significari per circum-

cumstantias : ergo etiam sufficiet sic significari personam absolvendi; ideoque si confessus dicat Confessario : Nunquid me absolvis ? Et Confessarius respondeat : Ita, tò ita sufficiet , quia in illis circumstantiis & ex intentione proferentis significat idem quod *Absolve te à peccatis*. Ex dictis patet, tò à peccatis sine peccato mortali omitti non posse, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Idem videtur, si omittatur tò te, & dicatur : *Absolve à peccatis tuis*, vel adhibeatur forma, quæ non habeat vim sententiæ judicialis, vel saltem est dubia, ut : *Mundote à peccatis*, vel dicatur in optativo : *Absolvat te Deus, absolvat te Christus &c.* vel deprecative : *O Jesu! solve hunc, &c.* Econtrà valet absolutio, si dicas : Absolve vestram dominationem, excellentiam, majestatem; item : Remitto tibi tua peccata, quæ verba sunt æquivalentia.

3. Sensus formæ : *Ego absolvo te a peccatis*, est hic : Ego autoritate mihi à Deo datâ, quantum est in me, tibi remitto tua peccata, vel do gratiam de se peccatorum remissivam ; undè patet, formam manere veram, etsi cadat super peccatis per contritionem vel aliam confessionem remissis.

4. Absolutio regulariter debet esse absoluta ; hinc illicita, & invalida est, si detur sub conditione de futuro, v. g. *Absolve te, si restitues, si intra tot dies concubinam dimittes* ; Ratio est, quia non est in potestate Ministri post applicatam materiam & formam suspendere valorem Sacramenti. Vid *Cas. 38. num. 17.* Valet tamen sub conditione de præsentis, & Sacramento intrinseca, v. g. *Absolve te, si verè doleas, si vis restituere offensam remittere, occasiones fugere, &c.* imò quandoque



que ob reverentiam Sacramenti sub conditione dari debet, v. g. dum Confessarius prudenter dubitat, an pœnitens sit dispositus, an habeat materiam sufficientem, an adhuc vivat, &c. Sufficit autem talem conditionem apponere in mente, etsi consultum sit eam etiam exprimere voce, maximè si forma aliis audientibus profertur.

5. In eadem confessione super eadem peccata sine causa repetere absolutionem per se est mortale, quia secunda absolutio est irrita defectu nove materiæ; plures tamen excusantur saltem à mortali ob inadvertentiam, perplexitatem, aut scrupulos, *Tamb. l. 1. c. 1. §. 3.* Si pœnitens post absolutionem statim redeat, & afferat de novo sola venialia, vel circumstantiam liberam, vel numerum in rō *circiter* satis expressum, v. g. dicit: *Circiter quinques pejeravi*, & rediens dicat: *Reverà pejeravi sexies*, non debet repeti absolutio, quia jam legitimè confessus, & absolutus est; si afferat numerum vel circumstantiam necessariam, vel mortale dubium, v. g. dicit: *Fui oblitus unius fornicationis; fui oblitus, quòd una fornicatio facta sit cum conjugatâ*, debet repeti absolutio; & imponi eadem, vel nova pœnitentia, ut Sacramentum sit integrum; an verò etiam dolor renovari debeat, dixi *Cas. 96. nu. 21.*

6. Peccat Confessarius mortaliter, si excommunicatum absolvat à peccatis, non præmissâ absolutione à censurâ; quia Ecclesia huic graviter prohibet usum omnis Sacramenti etiam pœnitentiæ; aliud est de suspenso & interdicto, nisi forsan interdicti causam dederit. V. dicenda *Cas. 116.* Si pœnitens accedat scienter cum excommunicatione, à quâ scit Confessarium absol-

verc



vere non posse, peccat mortaliter, & confessio est nulla; si verò ignarus, vel oblitus suæ excommunicationis bonâ fide accedat, absolutio erit valida; aliàs enim contingeré posset, ut quis per totam vitam suam bonâ fide absolveretur, & nunquam acciperet gratiam, nisi fortè perfectè contritus, quod præsumi non potest de piâ matre Ecclesia, quæ pœnas suas non vult esse *in destructionem, sed adificationem.* *Navarr. Suarez. Lugo Dian. p. 2. t. 4. R. 78.* Si confessarius potens absolvere à censuris, oblitum vel ignarum suæ excommunicationis absolvat formâ conluetâ: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis & interdicti, in quantum possum, &c.* non tantum à peccatis, sed etiam excommunicatione liberat, ita ut pœnitens postea recordatus censuræ non indigeat novâ absolutione, *Lugo l. c. Tambur. l. 2. c. 10. §. 3.* quia Confessarius intendit absolvere, quantum potest & debet; atqui potest, ut supponitur, & etiam debet priùs absolvere à censurâ, antequam à peccatis: ergo.

7. Absolutio per se loquendo dari potest complici; ordinariè tamen fieri non expedit, maxime in materia carnis, in quâ confessiones propterea sæpè sunt sacrilegè, & novis tentationibus obnoxia; ideo in Diœcesi Coloniensi omne peccatum mortale carnis externum Confessario complici est reservatum, ut dicam *Cas. seq. num. 17.*

QUÆR. II. Quid circa absolutionem absentis? 8.

R. I. Absolutio validè dari non potest absentis, quia Clem. VIII. Anno 1602. damnavit:

*Lice*

Licere absenti Sacerdoti per litteras, vel per nuntium peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem accipere, prohibetque ejus praxin pro omni casu; atqui si talis confessio, vel absolutio esset valida, non potuisset prohiberi pro omni casu; imò jure naturali & Divino obligaret pro casu necessitatis extreme tanquam medium necessarium salutis, & à Deo institutum, & Pontifex nihil prohibere potest contra jus naturale & Divinum: ergo. Unde relata propositio non solum damnata est copulative, ut voluit *Suar.* sed & divisivè, id est, quoad utramque partem, ita, ut nec valeat absolutio absenti facta, quod extra dubium est, nec confessio facta absenti, v. g. in scripto, nisi in præsentiâ repetatur, idque declaravit ipse Clem. expost. in duobus Consistoriis, teste *Mezger. a. 8. Lugo d. 17. n. 64.* Nec obstat, quod absolvi possit moribundus sensibus destitutus, qui absente Sacerdote petiit Confessarium, vel dedit signa doloris, ut dixi *Cas. prac. num. 30.* nam talis adhuc confitetur Sacerdoti præsenti per alios velut interpretes, coram quibus dedit signa doloris, vel petiit Confessarium; similiter validè absolvitur, qui Sacerdoti absenti misit peccata sua in scriptis, & expost. de iisdem se coram præsente saltem in genere accusat.

9. 2. Difficultas est, qualiter præsens esse debeat, ut quis validè absolvi possit; nam certum est, non sufficere, quòd quis possit videri vel audiri; nam audiri & videri possunt, simpliciter & longissimè absentia, ut stellæ cæli, sonus tormenti bellici, &c. Dico igitur cum *Tamb. Sparer n. 610.* sufficere præsentiâ moralem, intra quam homines communi modo colloqui

solent; quod plures extendunt ad 20. & plures passus, & admitto in casu necessitatis, dum prior accessus ad captivum, occidendum, peste infectum, &c. non conceditur.

3. Si pœnitens factâ Confessione ex simplicitate, vel distractione abeat ante perceptam absolutionem, aut Confessarius distractus eam dare oblitus sit, recordetur autem, dum pœnitens dicto modo adhuc est præsens, etsi abire cœperit, validè eundem recedentem absolvit, quia est moraliter præsens, & habet jus ad absolutionem, quam petiit, & adhuc peteret, si sciret se eam non percepisse, si talis pœnitens absque robore, infamiâ, vel alio incommodo revocari posset, id foret consultissimum; si jam longius abiit, vel nescias, quantum distet, commenda rem Domino DEO; si expòst petat à te Communionem, & recorderis non datæ absolutionis, cum ante Communionem secretò absolve; quod etiam locum habet, si post breve tempus in Ecclesiâ, vel plateâ, antequam credatur dolorem revocâsse, tibi obviet, quia habet jus ad absolutionem, & adhuc præsuntur dispositus; sed quid si Confessarius vocetur ad moriturum, an validè eum absolvit ante ædes constitutus intra 20. passus, etsi eum nec videre, nec audire possit? R. Nequaquam, quia eidem non est moralitè & humano modo præsens.

D. D. cit.

QUÆR. III. Quid de Obligatione Confessarii in genere?

R. Seqq. 1. Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos completè ordinatus habens jurisdictionem. Est de fide ex Flor. & Irid. D. co, completè; nam si quis tantùm ordinatus sit per

tra-

traditionem patenæ & calicis, accipit quidem potestatem in *Corpus Christi verum* consecrandum, non tamen in *Corpus Christi mysticum* seu fideles absolvendos; quòd si Episcopus imposuisset ei manus prætermisâ traditione calicis, ordinatio foret invalida, quia potestas absolvendi necessario supponit potestatem consecrandi.

2. In Ministro requiritur status gratiæ, alias tot peccata admittit, quot pœnitentes absolvit, tot enim distincta conficit Sacramenta; probabile tamen est, absolventem in necessitate, vel casu repentini obitûs etiam seclusâ perplexitate non peccare mortaliter, si præviè non conteratur, imò nec venialiter, si pio motu se convertat ad Deum, & proponat opportunè confiteri. V. *Cas. 88. n. 19.*

12. 3. Requiritur *Jurisdictio*, de quâ *Cas. sep.* Deinde *congrua scientia*, ut possit esse Minister Sacramenti, Judex, Medicus, & Doctor, in his quatuor officiis fundatur omnis Confessarii Obligatio, ad quæ si se sciat ineptum, ex defectu scientiæ, morum, vel aliundè, non potest Confessionale, multò minus Parochiam admittere; aut si admisit, tenetur se intra breve tempus qualificare, vel officium dimittere; idem dic de eo, qui antecedenter fuit capax, sed expost est oblitus suorum principiorum. Ratio est, quia aliàs sæpe faciet injuriam Sacramento & pœnitentibus.

4. Confessarius ut *Minister Christi* debet sollicitè, fideliter, reverenter, & dignis Sacramentum ministrare; procurare, ut fiat integrè, juvando, si opus est, pœnitentes in examine, disponendo ad serium dolorem, propositum, &c. saltem tunc si advertat aut prudenter cre-

dat pœnitentem in aliquo substantiali deficere; eo quod v. g. ignoret motiva fidei, spei, aut alia necessaria necessitate medii; tunc enim ante absolutionem necessario debet instrui, etiam si ignorantia foret invincibilis; item si laboret ignorantia vincibili in materia graviter præcepta; si non sat serio proponat offensas remittere, honorem aut bona ablata restituere, occasiones noxias devitare, inimico reconciliari, &c. quia uno horum deficiente Sacramentum foret nullum & sacrilegum. Si pœnitens ob angustiam temporis aut ob nimiam ruditatem, tam cito instrui non posset; deberet ad Parochum suum, vel in aliud tempus pro meliore instructione dimitti. Motiva quibus pœnitentes ad dolorem & propositum practicè disponi possint exhibebo infra

q. 8. *Ut Judex* debet discernere posse inter mortalia & venialia, inter numerum & speciem; proportionatam imponere pœnitentiam, satisfactionem, restitutionem, reconciliationem, &c. *Ut Medicus* debet dare posse pœnitentias medicinales, suggerere media opportuna pro evitandis peccatis eorumque periculis, &c. huiusmodi remedia sive generalia, sive particularia dabo hic q. 9. item debet scire & habere speciales & diversas methodus agendi cum diversis pœnitentibus, aliter enim dirigendus est doctus, aliter rudis, aliter durus, aliter pusillanimis, aliter vir, aliter puer &c. *Ut Doctor* debet nôsse Casus, à quibus possit vel non possit absolvere, debet posse instruere in rebus fidei, & ad salutem; aut Sacramentum necessariis, resolvere dubia circa restitutionem, contractus, valorem matrimonii, aliasque obligationes, &c.

12. 5. Si dubites de sufficientia tuæ scientiæ, vel  
 habilitatis, & Superior nihilominus jubeat con-  
 fessiones audire, debes obedire, quia in dubio  
 est præsumptio pro Superiore existente in pos-  
 sessione potestatis præceptivæ; similiter si ab or-  
 dinariis examinatis debitè, & sine fraude sit  
 approbatus, potes te judicare capacem, modo  
 principiorum tuorum non obliviscaris, ac in diffi-  
 ciliores casibus libros, aut viros doctos consu-  
 las; neque enim requiritur scientia summa, sed  
 sufficit mediocris, quæ studio ac lectione conser-  
 vetur, augeaturque. Et quamvis officium con-  
 fessarii sit multum grave & laboriosum, nemo ta-  
 men (modo capax sit) facilè ab eo debet abster-  
 reri; audire enim confessiones est actus verè He-  
 roicus teste Ludov. de Ponte, Deo gratissimus &  
 summè meritorius; quo omnia misericordiæ spi-  
 ritualis opera modo exercentur perfectissimo; ibi  
 docetur ignorans, corrigitur errans, erigitur pu-  
 sillanimis, solatur mæstus, excitatur tepidus, ter-  
 retur obstinatus, confringitur durus; redimitur  
 captivus, solvitur à servitute peccati, nudus ve-  
 stitur veste gratiæ; datur potus & cibus spiritualis  
 indigenti; & cum non fallat qui dixit *Beati mise-  
 ricordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*;  
 quid à misericordiarum patre non speret bonus &  
 industrius Confessarius? quia non est misericordia  
 quæ hanc adæquet.

13. QUÆR. IV. Quid observandum Confessario  
 circa rudes, pueros, ebriosos, &c.

R. Observari debent seqq. 1. Ingressurus con-  
 fessionale impleret gratiam Spiritus S. faciat in-  
 tentionem absolvendi pœnitentes, prout eorum  
 dispositio exigit.

2. Moneat opportunè pœnitentem, si numerum, vel speciem omittat, vel alterius peccatum manifestet.

3. Caveat omnem somnolentiam vel distractionem, ne confessio fiat pœnitenti gravis, & odiosa, eò quòd teneatur peccata secundò repetere.

4. Sit patiens & mitis, maximè circa scrupulosos & rudes; duos & obstinatos suaviter terreat, propositâ severitate Divini judicii, rigore pœnarum, &c. Quòd si occurrat peccatum valde enorme, non det signa admirationis, vel indignationis, ne circumstantes suspicentur dici peccatum gravius, & sic frangatur sigillum.

5. Ignaros & rudes instruat circa motiva fidei, spei, contritionis, juxta formulam *Cas. 13. num. 13. & 14.* exhibitam, vel similem; doceat modum se examinandi juxta præcepta Decalogi & Ecclesiæ, juvet, si opus, in examine juxta cujuslibet statum & conditionem, interrogando primùm de minoribus, v. g. de turpi colloquio, de osculis, deinde de tactibus, desideriis, & sic consequenter; si pœnitens memoriter confiteatur, non turbet ordinem, interrogando speciem, vel numerum, nisi fortè uno verbo, quando est periculum oblivionis, & statim reducat ad ordinem narrandi, ubi ultimò cessavit; in examinando numero vel circumstantiis non sit importunus, vel curiosus, præsertim in materia luxuriæ, ne multa interrogando doceat, quæ pœnitens ignorabat, sicque occasionem præbeat ulteriùs investigandi, Confessarium tradu-

Dd

ducendi ; & si leviora , v. g. verba turpia , vel cogitationes neget , opus non est interrogare de factis ; satius est circumstantiam omitti , quàm nimiam investigatione se aut pœnitentem exponere periculo turpis consensus.

6. Non sit festinus accelerando confessiones , expedit paucos bene , quàm multos obiter & sæpe non satis dispositos absolvere. Sit discretus & prudens , dirigendo pœnitentem , non semper secundum opinionem rigidiorē , neque semper secundum benigniorē , sed prout in Domino iudicaverit pœnitenti magis expedire nunc secundum hanc , nunc secundum illam , modo utraque verè sit probabilis & in praxi tua ; ideòq; oportet Confessarium scire , quænam sententiæ verè sint tales.

7. Habeat specialem modum dirigendi pueros , de quibus sæpissimè dubium est , an sufficienter sint instructi , an habeant fidem , & dolorem supernaturalem , an verè peccârint , &c. quòd si puer levissima quædam asserat , & dubites de sufficiente dispositione , vel capacitate , eò quòd rosario suo ludat , huc illucque respiciat , &c. eum cum solâ cruce dimitte : quòd si asserat graviora , aut ea , de quibus dubitas , an sint mortalia , eum ad fidem , & dolorem dispone , v. g. quærendo , quare confiteatur ? Si respondeat , ideò , quòd confitentes veniant ad cælum , non confitentes ad infernum ; quare ulterius , unde id sciat , & an putet esse cælum ? An credat quòd peccatoribus infligatur ignis infernalis , & quare ; &c. Si dicat , ideo quia Deus hoc dixit ; interroga , an Deus non possit errare aut mentiri ? Si respondeat bene ,



confirmandus est in fide, & cætera myſteria ei ſunt proponenda; deinde interrogandus, quare doleat, & proponat non ampliùs peccare? An poſſit ſuſtinere perpetuum ignem, vel ſaltem tenere unum digitum in candela? &c. Item ei deſcribi debet turpitudò peccati, quæ faciat deformem inſtar dæmonis; econtrà gratia Dei faciat pulchrum inſtar Angeli, inculcanda beneficia Divina, ſcilicet quòd nos creârit, redemerit proprio ſanguine, quòd paratus ſit dare gaudia æterna, quòd ſit pulcherrimus, amabiliſſimus, digniſſimus amari, &c. Quòd ad examen puerorum, poterit hoc fieri circa diſtractiones, garrulitates ſub Miſſa, mendacia, inobedientiam, rixas, cognomina, furta, illuſiones ſenum, &c.

8. Pleraque hæc etiam ſerviunt in confeſſione adoleſcentum, & juvenum, quibus ulterius ſuadenda eſt frequens confeſſio, & fidelis primarum tentationum manifeſtatio; hæc enim ſunt remedia efficaciſſima hanc ætatem ad quævis vitia pronam continendi in timore Domini; etiam monendi ſunt, ut ſe ſolo addant numerum, & ſpeciem, eumque in finem ſe diligenter examinent, nec ex pudore aliquod grave omittant, aliàs committi mortale ſacrilegium.

9. Hæc omnia ferè etiam tenent de ruſtis aliisque rudibus, qui quândoque magis ſunt ignorantès quàm pueri, adeoque hoc, vel ſimili modo ad dolorem diſponi poſſunt, v. g. dicendo: Quid ſi offendiſſes Principem, qui tibi veſtes, alimenta, & omnia daret, qui etiam te vellet hæredem inſtituere, &c. econtrà vellet graviffimis pœnis afficere, ad rogam condempna-



re, casu quo in animo eum offendendi perseverares, nunquid doleres te ejusmodi Principem offendisse, velleque eum posthac non offendere, sed amare? &c. Ejusmodi & major Princeps est Deus, &c. Examen autem horum potest esse circa detractiones, contumelias, furta, blasphemias Sacramentales, perjuriam advertenter facta, ebriitates, superstitiones, neglectas Missas, luxurias, &c.

16. 10. Confessarius ebriosorum debet eos obligare ad evitandas occasiones potationum, imò quandoque pro pœnitentiâ imponere abstinentiam à tali potu, maximè istis diebus, & locis, quibus solet esse occasio ebrietatis; quòd si nullâ viâ potus ob præsentiam necessariorum hospitem evitari posset, poterunt adhiberi media naturalia contra ebrietatem, quorum usus sine justa causa est veniale contra temperantiam, de confessario homicidæ V. Casus 42. n. 17.

17. 11. Confessarius quandoque tenetur negare absolutionem, ut si pœnitens nolit ea facere ad quæ sub mortali obligatur, v. g. famam, aut pecuniam restituere, offensam remittere, impedire peccata aliena, quando commodè potest, negotiationes illicitas omittere, actiones scandalosas evitare, occasiones proximas tollere; e contra si pœnitens verè est dispositus, non potest sine gravi peccato absolutio negari, quia habet jus ad illam; potest tamen ex rationabili causa differri, v. g. in confessione generali per aliquot dies continuanda, ut exploret, an pœnitens interim faciat, quod iustus hactenus neglexit, v. g. an ablata restituat, inimico se reconciliet, conatum emendandi adhibeat, &c.

QUÆR.

QUÆR. V. Quid de constituto in periculo, vel 18.

occasione peccandi?

R. Seqq. 1. Per periculum & occasionem peccandi hîc intelligitur aliquid inclinans, vel disponens ad peccatum; quòd si adeò vehementer inclinaret, ut quis consideratâ suâ infirmitate & dispositione frequenter, vel communiter cadat, dicitur respectu istius periculum proximum, v.g. si decies eas ad domum Cajæ, & cadas octies vel septies, domus Cajæ erit tibi periculum proximum & quidem moraliter certum; si cadas ter, quater vel quinques, erit periculum probabile; cadas semel vel rarò, & quasi casualiter, erit periculum leve, & occasio remota, quam non obligaris fugere, quia ubique reperitur, & eam fugere est ferè impossibile, alioquin, ut ait Apost. deberemus ex hoc mundo exire.

2. Periculum proximum & probabile teneris fugere non tantum cum gravi tuo incommodo, uti jam certum est, sed etiam cum jacturâ omnium temporalium, & periculo vitæ, uti cum Cardena tenent plerique, qui scripserunt post Propositiones ab Innoc. XI. damnatas, 61. quæ sic habet: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimò directè & ex proposito quarit, aut ei se ingerit.* 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* Item 63. *Licitum est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro vel proximi.* Huc etiam pertinet Propositio 41. damnata ab Alex. VII. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hac nimis utilis esset ad oblecta-*

mentum concubinari, vulgo regalo, & deficiente illa nimis agrè ageret vitam, & alia epula tadio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur. Ratio est, quia qui amat periculum, peribit in illo, & censetur eo ipso etiam amare peccatum; hæc tamen intelligenda sunt de periculo peccandi formaliter, hoc est, consentiendi in ipsum peccatum, non autem de periculo habendi tentationes ad consensum; sic chirurgus potest causâ medendi attingere verenda alterius, quamvis ille tactus foret occasio proxima motuum aut tentationum, dummodo non adsit periculum proximum consentiendi his moribus, uti ordinariè tum non adest ob specialem Dei gratiam, si talis se præmuniat per orationem, fortia proposita, &c.

19. QUÆR. VI. Quid de consuetudinario?

R. Seqq. 1. Si seriò doleat & proponat, paratus occasiones proximas removere, primâ vice potest absolvi, imò & sapiùs, si remedia à te præscripta adhibuerit, vel extraordinaria det signa doloris, vel sollicitè requirat nova remedia, aut paratus sit priora studioliùs applicare. Si tertio quaterve redeat cum iisdem peccatis, cum eodem vel majori numero, vehemens est suspicio, & justa præsumptio, quòd nullus, vel exiguus resistendi conatus adhibitus fuerit, ac defuerit verus dolor & propositum, adeoque tunc ad tempus, sine absolutione erit dimitteendus, cum magnâ tamen discretionem & prudentiâ, ne aut severitate avertatur à regressu, aut lenitate seducatur, sicque peccet, ac Confessarius cum illo. Notanda hîc etiam est Propositio 60. ab Inn. XI. damnata;

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, modo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

2. Quodam consuetudinem mollitiei, cuius occasio semper est præsens, vix efficacius remedium est quàm frequentissima confessio apud eundem Confessarium, v.g. bis vel ter qualibet septimanâ, quamvis aliquando absolutio sit differenda, ut Confessarius videat, num aliquem conatum adhibuerit; etiam iuvabit quàm maximè ei suadere, ut manè & vespere, aut etiam aliquoties per diem propositum renovet, & coram Crucifixo genuflexus toto corde dicat: *Domine DEUS! qui flammæ aternas luxuriosis præparâsti, promitto & voveo amore Jesu pro me crucifixi, vel talis Sancti N. hâc die hâc nocte, abstinere ab omni tactu turpi.* Si pœnitens desperet de emendatione, non poterit efficaciter proponere emendationem, quàm sibi persuadet nunquam futuram, ideoque nec absolvi; nisi præviè eum erigas ad spem & fiduciam, quâ confidat per auxilia Divina se tentationes superaturum; si tu ipse de ipsius emendatione desperes, de facto tamen eum putes habere sincerum dolorem, propositum, & fiduciam in auxilio omnipotentis gratiæ, quamvis de propriis viribus omnino desperet, potes & debes eum absolvere nisi fortè ad probandam ejus constantiam, & augendam vigilantiam expediret absolutionem paulisper differre.

3. Si advertas pœnitentem esse in occasione proxima extrinseca, coge ut eam deserat, vel <sup>21.</sup>

si sine gravissimo damno eam deserere non possit, faciat ex occasione proximâ remotam, muniendo se per quotidianas preces, proposita, confessiones, &c. Quòd si etiam his non obstantibus maneat idem periculum relabendi, uti ordinariè manet in fornicario, qui in propriâ domo habet concubinam, &c. tenetur eam tollere etiam cum periculo famæ, & vitæ, aliàs absolvi non potest, *Laym. La Croix. l. 5. à num. 252. Sporer nu. 328.* ubi benè notat, concubinarium publicum vix unquam absolvi posse, nisi injectâ prius infamipellice, quia eâ non ejectâ continuat scandalum; econtrâ concubinarium occultum in aliquo, sed rarissimo casu absolvi posse, concubinâ nondum dimissâ; si scilicet pro nunc non habeat affectum ad eam, & in gravi morbo non posset habere aliam, quæ ei inserviat, aut nunc dimissâ certò credatur ejus occultas turpitudines evulgatura, vel aliud damnum gravissimum illatura, tunc si credat non esse periculum lapsûs, assecuretque, quòd eam proximè non obstante quocunque incommodo velit dimittere, poterit Confessarius prudenter condescendere. Sed quid si filia habeat turpem consuetudinem cum famulo, quem nec potest dimittere, nec scelus sine infamia aperire, neque fugere sine gravissimis incommodis? *q.* Debet ex occasione proxima facere remotam, se indies muniendo per proposita, cavendo ejus alloquium, vel confortium, servum monendo, ut dimissionem perat, vel minando sceleris manifestationem, si hæc non juvent, debet potiùs per se, vel per alium crimen patri aperire, fugam, vel mortem eligere, matrimonium inire, quàm cum proximo peri-

culo relabendi servo commanere. Idem est de filio familias habente consuetudinem cum samula. Ulterius hinc notandum, quod consuetudinario se jam emendare volenti suadenda sit confessio generalis; prudenter enim timeri potest, ne ejus confessiones persæpè fuerint sacrilegæ defectu efficacis propositi, quod si semper habuisset, non tam diu in pravâ consuetudine perstitisset.

4. Si quis non adferat nisi mera venialia, & fere semper eadem; adhuc bis, ter, vel quater singulis septimanis absolvi poterit teste Henno, nisi aliunde appareat plus consuetudinis quam veri doloris aut propositi, ut contingere potest in eo vel eâ, qui ad hoc tribunal accedunt, ut Confessario placeant, ut bonam existimationem sibi acquirant, aut alios imitentur; de cætero frequens confessio omnino suadenda est, quamvis sæpè recurrant cum iisdem venialibus; præsertim si addatur peccatum ex vita priori, de quo quis certo doleat; quia hoc Sacramentum est longè utilissimum, causâtque ingentes gratias ex meritis Christi, & sic habet usus timoratorum, Sacerdotum tum Religiosorum tum sæcularium; prudens Confessarius sciet præscribere pœnitentias præservativas, aut suadebit, ut recidivi sibi met ipsis, tóties quoties, levem aliquam pœnitentiam imponant, quod si negligant; poterunt unâ vel alterâ vice communionem privari.

22

QUÆR. VII. Quid si Confessarius in suo officio erraverit?

R. Si Confessarius in confessione admisit defectum, v. g. invalidè absolvendo, dando prin-

cipia falsa, dicendo, contractum, votum, aut matrimonium esse invalidum, cum tamen sint valida, vel econtra; aut dixit esse licitum, quod est illicitum, &c. tenetur, si absque scandalo fieri potest, etiam post confessionem peccata venia moneere poenitentem idque sive bona sive mala fide processit; imò si in materia restitutionis non moneat eum, quem suo consilio falso obligavit, vel deobligavit, tenebitur ipse ad restitutionem, quia per suum consilium fuit injusta causa damni poenitenti, vel alteri illati: hæc tamen intellige de consilio dato ex malitia vel ignorantia culpabili; nam si datum sit bona fide, erit quidem obligatio poenitentem monendi, non tamen restituendi, si monueris; uti dum casu incendis alterius aedes, teneris quidem ex justitia restringere, quantum potes, si tamen non obstante tua industria exurantur, ad nihil teneris. V. *Cas. 37. num. 16. Cas. 42. num. 3.* Unum hic adde, quod etiam Confessarius Religiosus teneatur dictis casibus restituere, quantum sine infamia potest; poterit autem sine infamia, si ex suo peculio, vel à suo Superiore petat aliquid ad necessarium & pium usum; imò oportebit emittere votum restituendi, si sic sub titulo pii voti Superior sit facilius concessurus licentiam; Ratio horum est, quod lex naturalis restituendi obliget omnes, qui per ordinaria media satisfacere possunt; sed prædicta media respectu Religiosi sunt ordinaria, & per ea satisfacere potest, ut supponitur: ergo.

24. QUÆR. VIII. Qualiter poenitens ad dolorem & propositum practicè disponi possit? R. Quamvis passim præsumi possit adultos benè educatos, debite esse dispositos; expedit tamen, imò si de hoc prudens sit dubium, est gravis obligatio Con-



Confessarii, eos ad dolorem & propositum exci-  
tandi, suggerendo motiva cuique congrua : hæc  
autem præcipuè sunt quatuor, DEI bonitas,  
peccati turpitude, pœna & præmium; possunt-  
que proponi in modos sequentes.

1. DEI BONITAS ; itane mi bone, non  
erubuisti tot & tantis delictis offendere Deum  
tuum, Creatorem tuum, optimum Patrem,  
qui ab æterno te dilexit, creavit ad finem tam  
sublimem, dotavit tot gratiæ & naturæ dotibus,  
redemit te sanguine & morte Unigeniti sui, pe-  
percit tibi usque huc, cum toties potuisset justissi-  
mè corpus & animam mittere in gehennam ? an  
non intimè dolebis, quod tam amabilem Deum,  
tam benignum Patrem &c. adeò enormiter offen-  
disti &c.

2. TURPITUDO PECCATI : quæso te  
aususne fuisses rem adeo fœdam patrare coram  
hominibus, coram parente tuo, Domino aut  
Principe; an non credis Deum ubique præsen-  
tem, omnia etiam occultissima clarè intueri, &  
nihil ita horrere, abominari, & punire sicut  
peccatum? quomodo ergo rem adeò abominan-  
dam ausus es committere in oculis supremæ Maje-  
statis, suavissimi Patris, Creatoris, Redemptoris  
tui, quem tenebaris toto corde diligere, qui dilexit  
te & tradidit semetipsum pro te? &c.

3. METUS GEHENNÆ. Quæso te mi di-  
lecte; si pro certo scivisses debere te pro tali pec-  
cato vivum comburi, lento igne assari, an ausus  
fuisses illud committere? nonne fides te docet  
quodlibet mortale mereri æternos gehennæ ig-  
nes, præsertim tam fœdum, tam grande,  
tam atrox, quid si in hoc statu Deus te mori per-  
misset, ubi nunc esses? nonne arderes in  
in-

inferno, in igne & sulphure arsurus in omnem æternitatem, ardent jam innumeri, qui minus peccaverunt quam tu; sed pepercit tibi benignissimus Deus, offerens gratiam & vitam; Eja ergo seriò dole quòd tam bonum amantissimùmque Dominum offendisti &c. Ex his prudens lector desume & retine ea, quæ pro conditione pœnitentis aut qualitate peccati fuerint magis opportuna; ita tamen, ut ultimatè semper ad agnitionem & amorem divinæ bonitatis pœnitentem suaviter commoveas.

25. 4. Si obstinatio fuerit præsertim moribundus, eo quod v. g. nolit offensam remittere, ablata restituere, pellicem ejicere &c. rotundè dices quod ipsum absolvere non possis, proinde ipsum tam certò fore damnandum æternisque ignibus deputandum, quam certum est Christum pro ipso & toto mundo esse mortuum: si nec sic proficias, debes in genua provolutus accedere ad pedes indurati, exhibere ipsi imaginem Crucifixi atque obtestari per innocentes Christi plagas, per coronam spineam, per sanguinem &c. ut sui ipsius misereatur, ut si non hosti, saltem ipsi Christo condonet &c. & si sit spes eum sic expugnandi, obligaris ad hæc ex charitate, ne anima ejus æternum pereat. *Sperer hic n. 315.*

5. Confessarius contra quævis vitia sibi seligat efficaciores quosdam S. Scripturæ textus, quibus pœnitentes ad cordis compunctionem, & melioris vitæ propositum opportunè extimulet, miram enim ad hoc vim habent: nam eloquium Domini vehementer ignitum Ps. 118. hujusmodi esse possunt seqq.

*De Morte & Judicio: Quâ horâ non putatis filius hominis veniet Luc, 12. mors peccatorum pef-*

peffima *Pf. 33.* cuncta quæ fiunt adducet Deus in  
judicium *Eccl. 12.* Si justus vix salvabitur, im-  
pii & peccator ubi parebunt, *1. Pet. 4.* ibit  
homo in domum æternitatis suæ, *Ecclesiast.*  
12.

*De Inferno.* Discedite à me maledicti in ignem  
æternum *Matt. 25. v. 41.* quis poterit habitare  
de vobis cum igne devorante, cum ardoribus  
sempiternis. *Is. 33.* momentaneum quod dele-  
ctat, æternum quod cruciat &c.

*De Cælo :* Quærite primum Regnum Dei, &  
cætera adjicientur vobis. *Matt. 6.* Oportuit pati  
Christum & ita intrare in gloriam suam *Luc. 24.*  
non sunt condignæ passiones hujus temporis ad  
futuram gloriam *ad Rom. 8.* Oculus non vidit nec  
auris audivit... quæ præparavit Deus iis, qui dili-  
gunt se *1. Cor. 2. &c.*

*De Dei præsentia.* Oculi tui (Deus) in omni  
loco contemplantur bonos & malos *Eccl. 23.* Scru-  
tans corda & renes Deus. *Pf. 7* Ipse novit ab-  
scondita cordis *Pf. 43.* in ipso vivimus movemur  
& sumus *Act. 17.* textus particulares contra pec-  
cata capitalia dabo *Quæst. seq.*

QUÆR. IX. Quæ sint remedia contra relap- 26.  
sum? R. Sunt varia: *Generalia*, quæ omnibus vi-  
tiis, & *Particularia* quæ certis specialiter oppo-  
nuntur, de utrisque aliqua dabimus.

1. Remedia generalia sunt : 1. attenta confi-  
deratio eorum, quæ exposui *9. præc.* item qua-  
tuor Novissimorum, juxta illud *Eccles. 7. v. 40.*  
memorare novissima tua & in æternum non pec-  
cabis. 2. Fervens oratio & gratiæ petitio. 3. Vi-  
va præsentia Dei recordatio. 4. Propositi fre-  
quens renovatio. 5. Fuga occasionis & otii.  
Principiis tentationum statim obviare. 6. Libros  
pios

pios legere. 7. Exercitiis Ignatianis vacare. 8. Conscientiam diligenter examinare. 9. Corpus & sensus mortificare. 10. Et præcipuè, sæpius & accuratè confiteri & communicare, præterquam enim quod tunc exercentur actus maxime meritorii, fidei, spei, contritionis &c. ex meritis Christi copiosæ conferuntur gratiæ; & nova semper auxilia contra quasvis tentationes; accedunt consilia & monita Confessarii, salutares pœnitentiæ &c.

27. 2. Contra Venialia consideranda sunt seqq. 1. omne veniale verè est offensa Dei, optimi Patris. 2. Est turpis animæ macula, ita Deo & Angelis invisâ, ut quamdiu in animâ, licet aliàs sanctissimâ, remanet, eandem à patriâ cœlesti excludat. 3. Ejus malitia est tanta ut pro eâ delendâ Filius Dei sanguinem suum fuderit, nec omnium Sanctorum lachrymæ, pœnitentiæ, martyria se sola ad eam abolendam sufficiant. 4. Minuit fervorem charitatis, intellectum obscurat, voluntatem indurat, in oratione & cultu divino gustum ac devotionem tollit. 5. Impedit auxilia gratiæ contra tentationes, ad peccatum lethale velut morbus ad mortem disponit. 6. Meretur pœnas gravissimas in vitâ præsentis & futurâ. Remedia validissima contra venialia, sunt accuratum, quotidianum & particulare examen in hoc vel illud vitium magis familiare, in ejus radices & occasiones; frequens propositi renovatio, pœna arbitraria pro relapsu &c.

28. 3. Contra peccata capitalia accipe seqq.  
Contra Superbiam. *Textus Sacri* : Deus superbis resistit 1. *Pet.* 5. initium omnis peccati superbia, odibilis coram Deo & hominibus *Eecl.* 12. Qui se exaltat humiliabitur *Matt.* 13. Dis-

Discite à me quia mitis sum & humilis corde  
*Matt. 10.* Exempla: pœna luciferi cum suis *Isa. 14.*  
Nabuchodonosoris *Dan. 4.* Davidis numerantis  
populum. *2. Reg. 23.* Herodis Agrippæ ab An-  
gelo percussi. *Act. 12.* præscribantur humiliatio-  
nes.

Contra avaritiam: *Textus Sacri*: Avaro ni-  
hil est scelestius, hic enim & animam suam venia-  
lem habet. *Eccl. 10.* Quid prodest homini, si uni-  
versum mundum lucretur, animæ verò suæ de-  
trimentum faciat. *Matth. 16. v. 26.* Radix  
omnium malorum est cupiditas. *Tim. 16.* inde  
lites, odia, rixæ, furta &c. *Exempla*: Giezi, *4.*  
*Reg. 5.* Jezabel, *4. Reg. 9.* Heliodorus, *2.*  
*Mach. 3.* Judas. *Act. 1.* Ananias & Saphira.  
*Act. 5.* &c. imponantur primùm parvæ, paula-  
tim majores eleëmofynæ; at non pro te aut tuis,  
aliàs teipsum de avaritiâ suspectum facies.

Contra Luxuriam. *Sententia*: non manebit  
Spiritus meus in homine quia caro est, *Gen. 18.*  
qui talia agunt Regnum Dei non consequentur  
*Gal. 5.* Fugite fornicationem. *Cor. 6.* Si oculus  
tuus scandalizet te... Erue eum. *Matt. 18.* &c.  
*Exempla*: diluviùm. *Gen. 7.* Sodomæ subversio.  
*Gen. 8.* Samsonis interitus. *Jud. 7.* Davidis lap-  
sus & pœna. *2. Reg. 12.* Salomonis perversio.  
*3. Reg. 11.* &c. Expendat momentum volupta-  
tatis, gehennæ æternitatem, cœli jacturam;  
peccati turpitudinem; petat jugiter à Deo conti-  
nentiam fugiat otium & quævis pericula. Absti-  
neat ab omni periculoso visu, tactu, collo-  
quio, &c. qui hic spernit modica, certò pau-  
latim decidet. Injungantur afflictiones, jeju-  
nia, & præ omnibus frequens Confessio apud

eun-

cundem Confessarium, devota Communio, moneatur, ut cogitationes statim aliò divertat &c.

Contra invidiam : *Sententia* : an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum. *Matt.* 20. invidia diaboli mors intravit in orbem. *Sap.* 2. v. 24. Invidia maximè nocet invidio, putredo ossium invidia *Prov.* 14. Exempla : Cain *Gen.* 4. Filii Jacob coacti postea adorare Joseph. *Gen.* 42. Core Dathan & Abiron quos ob invidiam in Aaronem, vivos absorbit terra *Num.* 16. Saul in David. *1. Reg.* Satrapæ Darii in Daniele. *Dan.* 6. Judæi in Christum. *Matt.* 26. Injungatur invidio, ut oret pro æmulo, ei beneficiat, &c.

Contra Iram & Odium : *Sententia* : qui irascitur fratri suo reus est iudicio. *Matt.* 5. Deus non dimittit nisi dimittenti ex corde proximo suo. *Matt.* 6. mihi vindicta & ego retribuam. *Deut.* 22. qui odit fratrem suum homicida est. *1. Joa.* 3. discite à me quia mitis sum. *Matt.* 10. Sol non occidat super iracundiã vestrã *Ad Ephes.* 4. Exempla : Abimelech necatus à muliere. *Jud.* 9. Aman iratus suspenditur. *Ester.* 7. Cain occidit fratrem. *Gen.* 4. Herodes infantes. *Matt.* 2. Injungatur veniæ petitio, satisfactio pro injuria. Consideret exemplum Christi, Pater ignosce illis. *Matt.* 27. Oret pro inimicis, motus irã nil respondeat, nisi fortè verbis compositis, responsio mollis frangit iram. *Prov.* 25. caveat occasiones altercationis, &c.

Contra Gulam : *Sententia*. Quorum Deus venter est, gloria in Confusione ipsorum. *Phil.* 3. propter crapulam multi obierunt. *Eccl.* 27.

Non

Non in commestationibus & ebrietatibus *Rom.*  
13. Exempla : Adam. *Gen.* 3. Esau. *Gen.* 25.  
Noe ebrius nudatus. *Gen.* 4. Loth incestuosus  
*Gen.* 19. Holofernes occisus. *Judith.* 3. Epulo  
damnatus *Luc.* 6. Injungatur abstinencia, jeju-  
nium fuga occasionis : consideret exempla San-  
ctorum, Christi jejunantis, felle & aceto potati  
&c. Perpendat crapulae & ebrietatis foeditatem  
plusquam bestialem, pericula, rei domesticæ dis-  
pendia, &c.

Contra Acediam. *Sententia* : Multam maliti-  
am docuit otiositas. *Eccl.* 35. Regnum cœlorum  
vim patitur. *Matt.* 11. Omnem palmitem non  
ferentem fructum tollet eum. *Jo.* 15. Exempla :  
David otiosus in adulterium labitur. Isboset dor-  
miens occiditur, servus talentum desodiens dam-  
natur. *Matt.* 25. &c. Consideret sine bonis  
operibus neminem salvati, aspiciat labores & ri-  
gores multorum Religiosorum, tormenta Mar-  
tyrum ; ærumnas & labores Christi ; videat  
quantum sæculares molestiæ absorbeant, sæpè  
pro re vanissima, & quid non faciendum pro vita  
æterna ? plura qui voluerit, legat *Arsdekin.*

*Stoz, lib. 1. p. 4. à num. 13. & lib. 2.  
à num. 135.*



Ec

CA-

R. D. 7. usen Theol. Moral. Tom. III.

## C A S U S X C I X .

## De jurisdictione, &amp; approbatione Confessarii.

**M**Aro Theologus interrogatur : 1. An in confessario requiratur jurisdiction, & à quo datur, & an quisvis Sacerdos illam habeat in venialia. 2. Quid de articulo vel periculo mortis. 3. An sufficiat licentia dolo vel metu extorta, presumpsa, ratihabita. 4. An absolvere vel absolvi possit excommunicatus. 5. An error communis det jurisdictionem. 6. Quid de jurisdictione probabili. 7. Quid sit reservatio, & à quo fieri possit. 8. An se extendat ad merè interna vel venialia, & quid hic intelligatur per lapsum carnis, homicidium, &c. 9. An de peccato dubio; quid si post confessionem cognoscatur esse certò reservatum. 10. Quid si ignoret suo peccato reservationem esse annexam. 11. Quid si confessus habenti potestatem in reservata, oblitus sit unius reservati. 12. Quid de casibus Papareservatis in jure communi; quid circa hæc possint Regulares. 13. Quid de casibus Bullæ cœne. 14. An incurrat reservationem Papalem, qui ignorat vel non recordatur annexam esse excommunicationem. 15. Quid de periculo mortis. 16. Quid de iis, qui Romam ire non possunt. 17. Quid de reservatis in Diœcesi Coloniensi. 18. An reservatio Episcopi extendat se extra Diœcesin, & qui absolvere possint. 19. Quid de casibus reservatis Regularium. 20. An requiratur approbatio, & qui eam dare possint. 21. An exspiret per mortem dantis. 22. Quid de

Con-



Confessario Regularium. 23. An Regularis appro-  
batus validè, & licitè absolvat contra voluntatem  
Superiorum. 24. Quid de Confessario Monialium.  
25. An approbatus pro una Diocesi sit approbatus pro  
altera; & quid de Religioso peregrinante. 26. An  
Parochus suos valeat absolvere in alienâ Diocesi, vel  
alienos Parochianos. 27. An desinens esse Parochus  
desinat esse approbatus. Pro Resol.

QUÆR I. Quid circa jurisdictionem Con-  
fessarii? I.

1. Ut Sacerdos validè absolvat, præter ordinem Sacerdotii requiritur jurisdictionis. Est de fide, ex Conc. Later. Flor. Trid. s. 14. c. 6. & 7. ubi dat rationem; quòd sententia non possit ferri nisi in subditos, subditos autem accipit per jurisdictionem, quæ definitur; authoritas quædam Superioritatis suprâ alios in foro conscientiarum judicandos. Dices: Ergo Papa à nemine poterit absolvi, quia nemini est subditus. R. N. seq. Papa eligendo Confessarium hoc ipso dat ipsi jurisdictionem in se, non quâ Pontificem, sed quâ hominem peccatorem.

2. Jurisdictio alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria dicitur, quæ competit ratione officii habentis annexam curam animarum, uti habet Papa pro tota Ecclesia, Nuntius Apostolicus pro sua Provincia, Episcopus & ejus Vicarius pro totâ Diocesi, Parochus pro sua Parochiâ, Prælatus regularis pro suo Monasterio. Delegata est, quæ purè competit ex commissione alterius, aliquando cum, aliquando sine potestate subdelegandi, prout voluit delegans. Delegatam pro totâ Ecclesia ex Privilegio habent Regulares, suppositâ tamen approbatione Episcopi localis. Omnes Sacerdotes etiam non approbati jurisdictionem

Ec 2 ha-

habent in venialia ex consuetudine, & consensu tacito S. Pontificis, *Lug. disp. 18. 1. 3.* ea tamen uti non licet ob decretum Innocentii XI. editi Anno 1679. 12. Febr. teste Henno de poenitentia *disp. 8. 9. 4. conclus. 3.*

2. 3. In articulo mortis, hoc est, quando mors moraliter certa proximè instat, undecunque hoc proveniat, quilibet Sacerdos etiam non approbatus, irregularis, excommunicatus, hæreticus, apostata, degradatus habet jurisdictionem absolvendi, si alius approbatus non adsit, qui absolvere possit, & velit. Est communis & certa: quia potestas absolvendi data est ad salutem hominum: ergo, quando hæc salus maximè periclitatur, limitanda non est; imò *Sylv. Suar. Nav. Carden. in 2. Crisi dis. 2. numer 424. Sporer num. 724.* id probabiliùs extendunt ad quodcumque probabile periculum, quale est v. g. periculosum iter, aut navigatio, difficilis partus, instans prælium, &c. Ratio est: quòd in jure pro eodem sumantur articulus, & periculum mortis; colligitur ex *c. si quis suadente 17. 9. 4. eos qui desent, excomm. in 6.*

3. 4. Ad validè absolvendum probabiliùs sufficit jurisdictio metu extorta, quia datur simpliciter voluntariè: econtrà non valet licentia per dolum obtenta, si dolus versetur circa substantiam, vel principale motivum concedendi; neque acquiritur jurisdictio absolvendi per consuetudinem, nisi accedat consensus saltem tacitus Superioris, ut constat ex *c. si Episcopus de poen. & remiss. & c. Romana de sent in 6.* Nec sufficit licentia interpretativa, vel prudenter præsumpta, id est, quam daret Superior, aut certò creditur daturus si rogaretur; nec sufficit subsequuta ratihabitio.

sed requiritur consensus de p<sup>re</sup>sententi existens, & aliquo signo manifestatus, tunc, quando confertur Sacramentum, qualis est juxta communem, si Superior videat & sciat simplicem Sacerdotem audire confessiones, & non prohibeat, cum facile possit, *Suar. Dicast. d. 10. n. 166.*

§. Extrà articulum mortis invalidè absolvit excommunicatus non toleratus, id est, publicè denuntiatus, vel notorius percussor Clerici, quia Ecclesia à tali sustulit omnem jurisdictionem; econtrà validè absolvit excommunicatus toleratus, sed illicitè, nisi requisitus sit, & contritus, ut dicam *Casu 114. q. 3.* An verò excommunicatus absolvi possit à peccatis, dixi *Casu preced. numer 6.*

QUÆR. II. An error communis det jurisdictionem?

R. 1. *Error communis* est, quando quis à plerisque ibi existentibus existimatur habere jurisdictionem, quam tamen non habet; hic error aliquando conjunctus est cum titulo colorato, aliquando non. *Titulus coloratus*, seu non verus, sed apparens, & putativus, est collatio jurisdictionis, vel officii habentis annexam jurisdictionem, quamvis hæc collatio ob latentem aliquem defectum sit nulla, ut si tibi à vero collatore conferatur pastoratus simoniacè, habes titulum coloratum, & si communiter à Parochianis habearis pro vero Parocho, accedit error communis.

R. 2. *Error communis cum titulo colorato* dat jurisdictionem. Est ferè omnium, & practicè certa. Ratio est: quia tunc ob utilitatem publicam, & gravissima incommoda certò præsumitur Ecclesia supplere jurisdictionem, *ex l.*

*Ee 3*

*Bar-*

*Barbarius*, ff. de off. prat. § c. infamis 3. q. 7.  
Unde validè absolvit Parochus occultè simo-  
niacus, excommunicatus, suspensus, aut  
cujus approbatio occultè est revocata, vel ex-  
piravit.

R. 3. Solus error sine titulo colorato non suf-  
ficit; nam quamvis Innoc. Ostiens. Felin. &c.  
probabiliter dicant, Ecclesiam tunc supplere,  
quia hîc æquè militat bonum commune, id ta-  
men in praxi tutum non est, quia agitur de valore  
Sacramenti. *Lex Barbarius* (quæ videtur esse  
fundamentum hujus doctrinæ) loquitur de errore  
communi conjuncto cum titulo colorato; ergo si  
non adsit talis titulus, non est certum, quòd Ec-  
clesia suppleat; neque est periculum tot incommo-  
dorum; nam rarò contingit, quòd error commu-  
nis non sit conjunctus cum titulo officii, benefi-  
cii, approbationis, expositionis, Privilegii ad  
confessiones audiendas, &c. *Carden. crisi 2. dist.*  
*2. c. 6. n. 151. La Croix. l. 6. p. 1. n. 115. Metzger. d.*  
*49. a. 1. n. 24.*

6. QUÆR. III. An extra necessitatem sufficiat  
jurisdictio probabilis, hoc est, fundata in opini-  
one verè probabili, quòd v. g. absit in im-  
pedimentum, quòd solus error communis det ja-  
risdictionem, &c. Affirmant *Sanch. Pont. Less.*  
*Bonac. Rasler. Reding. Salma. t. 6. de pœn. c. 11. p.*  
*5. Card. Metzger. l. c.* Rationem dant 1. Quia  
certum est, quòd consuetudo sciente & non im-  
probante Superiore det jurisdictionem, *cum*  
*contingat, de foro compet. c. Romana eod. in 6.* Sed  
etiam certum est, quòd sit consuetudo absolven-  
di cum jurisdictione probabili, ut testatur  
*Suarez. Arriag. Lugo d. 27. num. 32.* & ipsa ex-  
perientia; ergo. 2. Error communis cum  
ti-

titulo colorato certò dat jurisdictionem, ut supra dictum est; atqui si hic erratur, est error communis, & plerumque adest titulus, ergo: & si Ecclesia hic non suppleat, sequuntur eadem incommoda, quæ ex errore communi, ergo: hæc sententia est probabilissima, at non planè certa: tum quia probabiliter contradicunt *Suar. Vasq. Koning, Garcias, Oviedo, Salust. Pallav. Taberna, Marchant.* & alii, quos citat & sequitur *Gob. Cas. 3. num. 114.* tum quia consuetudo non est universalis, & Ecclesia videtur eam improbare, *c. si Episcopus 2. de pœn. & remiss. in 6. Nulla quoque potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit ligare.*

QUÆR. IV. Quid circa reservationem in genere? 7.

R. Sequentia: 1. *Reservatio* est ablatio jurisdictionis respectu aliquorum peccatorum: potest autem hæc reservatio fieri ab omni eo, qui habet jurisdictionem ordinariam, qualem habet Papa pro tota Ecclesia; Episcopus pro sua Diocesi, Superior regularis pro suis Religiosis; non tamen Parochus pro suis Parochianis; cum enim ipse sit immediatus Pastor suarum ovium, utique non reservabit sibi ipsi; in casu tamen, quo alium ab Episcopo approbatum delegaret, posset sibi peccatum reservare.

2. Quamvis peccata etiam merè interna reservari possint, cum ad hæc se extendat jurisdictio sacramentalis, quam concedit & per consequens etiam limitare potest Ecclesia: attamen de facto non reservantur, nisi mortalia externa, & quidem graviora; si peccatum internum sit grave, externum leve, v. g. vulnerasti 8.

râsti leviter cum animo occidendi, furatus es stufurum cum animo furandi materiam gravem; non incurris reservationem, quamvis furtum, & percussio cæteroquin forent casus reservati, *Suar. Bonac. Lug. d. 20. num. 15.* Ratio est, quòd reservatio (utpote restringens potestatem absolvendi) sit odiosa, ideòque restringenda; ex eodem capite, si reservetur lapsus carnis, homicidium, id tantùm intelligitur de actu consummato, v. g. de lapsu carnis per effusionem seminis in vas naturale, item de homicidio reverà secuto, non autem de lethali vulnere, nisi reservans aliter mentem suam declaraverit.

9. 3. In dubio an hoc, vel illud peccatum sit reservatum, hoc ipso non reservatur, sive dubium sit positivum, sive negativum, sive sit juris, ut cum dubitas, an reverà sit lex reservans ejusmodi actum, sive sit dubium facti, ut cum scitur, homicidium, procurationem abortus, adulterium, &c. esse reservata, sed dubitas, an mors vel abortus sit secutus, an plenè, deliberatè, an ex actione à te positâ, an persona sit uxorata, &c. idque tenet, etiamsi præsumptio fori externi sit contrate, v. g. protulisti verba hæretica, sed dubitas an animo hæretico. Est communis cum *Sanch. Tamb. Metz. Lug. num. 18. Dian. p. 4. t. 3. R. 4.* Ratio data est, quòd reservatio, utpote odiosa, non debeat extendi ad casus dubios, sed ad certos & perspicuos; imò *Gobat. Sporer num. 734.* extendunt hoc probabiliter ad casum, quo bonâ fide confessus es non habent facultatem in peccatum dubiè reservatum, etiamsi post certò cognoscas esse reservatum; sed quòd ad hoc oppositum videtur probabilius, quia hoc ipso, quòd tibi certò constet, peccatum esse re-

servatum, pariter constat, Confessarium ordinarium ab illo non potuisse directè absolvere, ergo teneris illud de novo confiteri apud habentem facultatem in reservatum.

4. Idem *Sporer num. seq.* dicit, posse absolvi 10. pœnitentem, si ignoret suo peccato esse annexam reservationem; sed nec hoc videtur admitti posse, maximè si reservatio non sit merè pœnalis, sed simul medicinalis, qualis semper esse præsumitur; & praxis est contraria; ignorantia enim pœnitentis non facit, ut Confessarius accipiat jurisdictionem in peccatum, in quod aliàs non habebat, & certò si hæc sententia teneret, sola peccata Theologorum essent reservata, cum hi soli sciant casus in specie reservados.

5. Communis est sententia, non ampliùs re- 11. servari peccatum, quod oblitus es, dum confitebaris habenti potestatem in reservata, quia quamvis tunc non directè absolvaris à peccato omisso; attamen tollitur ejus reservatio, quia Confessarius saltem implicite voluit facere, quantum potuit; potuit autem tollere reservationem, cum hæc per se loquendo non requirat confessionem, ergo. Idem tenet, si talis confessio fuisset invalida defectu veri doloris, ita ut peccata tunc à quocunque approbato absolvi possint.

QUÆR. V. Quid circa casus reservados 12. Papæ?

R. Sequentia: 1. Satis mihi reservantur in jure communi, ut percussio Clerici, duellum, simonia, &c. sed opus non est, ut in his Regularis approbatus & expositus multum divexet memoriam, quia Mendicantes, & omnes cum iis participantes, idèdque & Præmonstratenses habent Privilegium ab his omnibus pro foro con-

scientiæ absolvendi, ut dicam *Casu* 116. q. 3. de  
absolutione à percussione Clerici dicam *Casu* 115.  
q. 3. ab hæresi *ibid.* q. 6. de absolutione seu dis-  
pensatione à votis *Casu* 71.

13. 2. Alii Casus à Papa reservantur specialiter, &  
arctius in *Bulla Cœnæ*, sic dicta, quod omni an-  
no in Cœna Domini hæc Bulla de novo promul-  
getur, utpote: *Hæresis, lectio, retentio, im-  
pressio librorum hereticorum, appellare ad futurum  
Concilium, pyratiam exercere in mari Romano,  
bona naufragorum eripere, sine potestate imponere  
novas gabellas, falsificare litteras Apostolicas; per-  
sonas Ecclesiasticas trahere ad tribunalia secularia,  
imponere onera Ecclesiasticis, & alia plura, de  
quibus magis specificè & fusiùs infra *Cas.* 115. n.  
26. Vide *Castrop. de cens. dis.* 3. ubi 20. Casus  
*Bullæ Cœnæ* fusè exponit; ipsam verò Bullam  
Cœnæ habes apud *La Croix l. 6. p. 2. n. 2054.*  
Casus in ea contentos breviter exhibebo *Cas.* *CXXV.*  
*num. 26.**

14. 3. Omnibus casibus Papalibus sive in- sive  
extra Bullam Cœnæ reservatis, annexa est ex-  
communicatio latæ sententiæ Papæ reservata, ita  
ut qui non incurrit excommunicationem, etiam  
non incurrat reservationem. Est communis Do-  
ctorum. Ab excommunicatione autem excusan-  
tur, qui ignorant eam delicto suo esse annexam,  
etiam si ignorantia sit mortaliter culpabilis, modò  
non sit omninò crassa, & supina, ut dicam *Casu*  
113. Quod diligenter notandum maximè pro læ-  
cularibus in his partibus, qui rarò sciunt, vel re-  
cordantur his casibus excommunicationem esse  
annexam, ideòque communiter à quolibet Con-  
fessario absolvi possunt.



4. In articulo mortis, vel ejus periculo, si 15.  
non adsit potestatem habens, potest quivis Sa-  
cerdos etiam excommunicatus, hæreticus, de-  
gradatus absolvere à quibusvis casibus reservatis,  
etiam in Bullâ Cœnæ, *Trid. Sess. 19. c. 7.* Sed  
quid si haberi possit Regularis habens potestatem  
in reservata? R. Adhuc probabiliter eligi po-  
test quivis approbatus, quia Tridentinum indis-  
tinctè dicit: *In articulo mortis nullam esse reser-  
vationem, Tamb. Herinx d. 6. q. 2.* Et de Pa-  
rocho non esse dubitandum docet *Less. Gobat.*  
*Cas. 3. num. 130.* cum hoc tamen onere, ut  
non absolvantur, nisi præstito juramento, quòd  
sublato impedimento comparituri sint coram  
Superiore, ejusque mandato obtemperaturi, *c.*  
*extenore. c. ea, de sent. excomm.* Quod *Avila,*  
*Bonac. Tamb. l. 3. c. 6. num. 4.* extendunt ad  
solos percussores Clerici, quia de his tantum  
loquuntur Canones; imò *Sporer* tantum putat  
habere locum, quando res deducta est ad fo-  
rum contentiosum; deinde debet præstari cau-  
tio de satisfaciendo parti læsæ, vel potius ipsa sa-  
tisfactio, si possit, ante absolutionem; qui pro-  
missa non præstat, in excommunicationem rein-  
cidit, *c. eos qui c. quavis de sent. excom.* ab hac  
tamen absolvere possunt Episcopi & Mendican-  
tes; hoc certum est, quòd absolutio valeat; etsi  
Confessarius præfatam pœnam non imponat.  
Vid. dicenda *Cas. 116.* necessariò hic reco-  
lenda.

5. Casus Papales etiam Bullæ Cœnæ fiunt Epis- 16.  
copales, seu possunt absolvi ab Episcopo, quan-  
do est impedimentum perpetuum, vel diutur-  
num, quò minus pœnitens personaliter Papam  
adire possit, quia v. g. est impubes, senex, pau-  
per,

per, valetudinarius, & universim, qui sine magnâ difficultate Romam ire non possunt, *c. mulieres, c. quamvis, c. de cetero, de sent excom.* Eadem potestas etiam competit Regularibus, *Dicaſt. Gobat. Cas. 8. num. 368. Sporer num. 751.* Neque opus est, ut absolutus ab Episcopo vel Regulari privilegiato postea compareat coram Papâ, quia jam absolutus est ex potestate Apostolicâ delegatâ: si Episcopus vel Regularis privilegiatus adiri non possit, potest absolvere quilibet approbatus, & quidem ab aliis peccatis directè, à reservatis indirectè, cum onere petendi ab habente potestatem absolutionem directam à reservato, Idem tenet de eo, qui die festo sine gravi incommodo, aut scandalo confessionem, & Missam differre non potest, & non habet, qui à reservatis absolvere possit, tunc poterit confiteri Confessario ordinario cum onere jam explicato, *Sor. Sylo. Suar. Laym c. 12.*

17. QUÆR. VI. Quid circa reservationes Episcoporum?

R. 1. Casus Papales etiam occulti sunt reservati, ut jam certum est ex Propositione 3. & 4. ab Alexandro VIII. damnatâ; Casus tamen Episcopales plerumque non reservantur, nisi sint publici, aut, aliud ab Episcopo aut Synodo decernatur, ut videri potest ex propria eorum Agendâ vel Synodo; in Agenda Colonienſi edita Anno 720. de Sacramento Pœnitentiæ num. 51. reservantur sequentia: *Homicidium voluntarium, sacrilegium, incendium Ecclesiæ deliberatâ voluntate procuratum, sodomia, rapus virginum, incestus cum consanguineis aut affinis in primo aut secundo gradu, aut cum Sanctimonialibus, adulterium manifestum, injectio manuum*

violenta in parentes cum lesione, sorulegia, veneficia, ligatura & omne maleficium, quo impeditur actus maritalis in conjugibus, perjurium manifestum, violatio fidei, & votorum, simonia heresis, apostasia, blasphemia magna, serioque prolata. De peccato complicitis Agenda pag. 52. habet sequentia: Casibus reservatis adjicitur crimen complicitis, quo verbo intelligitur illa persona, qua carnaliter cum Confessario peccavit, qualis pœnitens ab eodem Confessario complice ab illo ipso carnali peccato externo de se mortaliter peccaminoso (licet copula non intervenerit) Sacramentaliter extra mortis periculum absolvi non poterit. Unde patet, in hac Diœcesi reservari omnes Venereos tactus, oscula, amplexus, pollutiones, &c. complicitis, cum hîc non detur parvitas materiæ, ut dixi Casu 11, num. 3. Omnes præfati casus, excepto adulterio, & perjurio, quantumlibet occultii, reservationi subjacent. Agenda l. cit. In his tamen retinendis non est crucianda memoria; nam in formula approbationis solet dari potestas absolvendi ab omnibus, excepto tantum uno vel altero, ideoque sufficiat hæc solum memoriter tenere.

2. Reservatio tantum habet vim in Diœcesi reservantis; hinc si pœnitens habens reservatum peregrinetur in aliena Diœcesi, in qua non est reservatum, ibi potest absolvi, saltem si non iverit illic in fraudem legis; quia peregrini gaudent juri-  
18.  
bus loci, in quo sunt. Econtra si peccatum in sua Diœcesi non sit reservatum, sit autem reservatum in aliena, in qua quis confitetur, etiam absolvi potest, quia absolvitur ex vi jurisdictionis delegatæ a suo Episcopo, quæ se extendit ad tale peccatum.

3. A reservatis Episcopo absolvere possunt Penitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus expositi, non tamen Mendicantes alii ad hoc non specialiter approbati, ut certum est ex Propositione 12. ab Alex, VII, damnata. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*

19. QUÆR. VII. Quid de casibus reservatis apud Religiosos ?

82. De his videri debent cujuslibet Ordinis Statuta. Clem. VIII. Anno 1593. statuit undecim tantum casus, ultra quos Superiores Regularium sibi plures vel alios nisi cum consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis pro Provincia, reservare non possunt; sunt autem : 1. *Apostasia à Religione etiam habitu retento.* 2. *Nocturna & furtiva è Monasterio egressio.* 3. *Veneficia, incantationes, sortilegia.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, qua sit peccatum mortale.* 5. *Furtum notabile mortale de rebus Monasterii.* 6. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 7. *Furamentum falsum in legitimo iudicio.* 8. *Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum foetus animati etiam effectu non secuto.* (Hoc enim secuto incurritur reservata excommunicatio & irregularitas ex delicto homicidii voluntarii.) 9. *Falsificatio manus vel sigilli Officialium Monasterii.* 10. *Occisio seu vulneratio, seu gravis alicujus personæ percussio.* 11. *Malitiosum impedimentum, retardatio vel apertio litterarum Superiorum ad inferiores, vele contra.* Unde infertur cum March. & communi, Prælatum non posse præter prædictos casus alia peccata prohibere sub excommunicatione sibi reservatâ, quia Pou-

tifex simpliciter excludere voluit omnes alias reservationes.

QUÆR. VIII. Quid de approbatione ?

R. 1. Præter jurisdictionem requiritur ad valide absolvendum approbatio Ordinarii, quæ est authenticum testimonium Superioris de aptitudine ad absolvendum Sacramentaliter.

2. Approbare possunt Nuntius Apostolicus pro sua Nuntiatura, Episcopus & ejus Vicarius pro sua Diœcesi; idem dicendum de Abbate habente jurisdictionem quasi Episcopalem in Diœcesin nulli Episcopo subjectam, communis Doctorum; imò jus approbandi simpliciter ad audiendos sæculares, & Moniales, ab inferiori Prælato probabiliter præscribi posse, sicut, & alia jura; dixi, *Casu. 78. num. 13.* Episcopus existens extra Diœcesin suam, extraneum approbare non potest, quia nullo modo est ejus Superior. *Lugo.* Econtra subditum Sacerdotem approbare potest pro sua Diœcesi, licet existat in aliena.

3. Potest approbatio dari vel restrictè ad certum tempus & personas; vel illimitatè: illimitata non expirat per mortem dantis, (idem dic de jurisdictione) sed per solam revocationem, ut habet communis, & certum est ex praxi.

4. Regulares etsi jurisdictionem immediatè accipiant à Papâ, tamen indigent approbatione Ordinarii, ut validè absolvant sæculares, quod addo, quia ut audiant Regulares, ad valorem requiritur & sufficit licentia Superioris.

5. Si

23. 5. Si Religiosus contra voluntatem Superiorum procuret sibi approbationem Episcopi, & confessiones sæcularium audiat, peccat quidem contra obedientiam mortaliter, vel leviter, prout Superior scitur esse graviter, vel leviter invitus validè tamen absolvit, quia & jurisdictionem, & approbationem habet in subditos Episcopi, *Laym. Tamb. l. 5. c. 5. §. 2.*
24. 6. Ad audiendas Moniales etiam exemptas requiritur approbatio specialis Episcopi, in qua expressè fiat mentio Monialium, ita ut si approbatio fiat pro uno tantùm Monasterio, vel pro unâ tantùm vice, non valeat pro aliis, ut constat ex Bulla Greg. XV. *Inscrutabili Dei providentia*, & Clem. X. *Superna magni Patris - familiarum* quæ prodiit anno 1670. hanc Bullam in Diocesi Coloniensi promulgatam esse testatur *La Croix n. 1528.* & ad longum refertur in Synodo Coloniensi ultimâ, hæc tamen Bullæ non loquuntur de Monialibus extra Monasterium degentibus, ideoque has nisi Episcopus loci contradicat à quolibet approbato absolvi posse, docet *La Croix n. 1526.* ubi exhibet prædictam Bullam Clem. X. hanc tamen non esse ulu receptam in Belgio; & Regulares exemptos, ibidem pro Monialibus sibi subiectis non requirere approbationem Episcopi testatur *Henno hic quest. 6.* & notoria praxis, Idem de Monialibus ex Ordine Minorum in Diocesi Coloniensi asserit *Sasserath in Directorio Confessoriorum pag. 243.* ex eâ ratione, quòd pro impediendâ executione Bullæ *inscrutabili* statim in principio publicationis Ordo Fratrum Minorum supplicaverit, & quia Pontifex ad supplicam non respondit; videtur in illo ordine hujus Bullæ observantiam dissimulasse; ex eodem principio videtur

dentur & alii quidam Ordines exempti usque hac  
continuare praxin deputandi Confessarios pro suis  
Monialibus ex suo Ordine, ab Episcopis speciali-  
ter non approbatos.

7. Approbatus pro unâ Diœcesi non est appro- 25.  
batus pro omni, prout nunc quodam Regulares  
certum est ex Clementinâ cit. Hinc Religiosus  
approbatus v. g. in Diœcesi Colonienſi non potest  
in Diœcesi Leodiensî existens validè audire con-  
fessiones sæcularium Colonienſium. Dico, *secu-*  
*larium*; nam suum socium, & quosvis Religio-  
ſos de licentiâ, quorum interest, ubique audire  
potest, quia Superiores Regularium habent Pri-  
vilegium ſibi, & ſuis eligendi quemcunque Sa-  
cerdotem etiam non approbatum ab Episcopo.  
Sed quid ſi Regularis cum licentiâ Superioris pe-  
regrinetur, an poſſit eligere Sacerdotem non ap-  
probatum etiam sæcularem, ſi non adſit Regula-  
ris? R. Probabiliter affirmant *Suar. Tamb. ſup.*  
*Sporer n. 865.* quia Religioſi habent Privilegium  
eligendi Confessarium non approbatum, ſi con-  
ſentiant Superiores; atqui præſumuntur conſen-  
tite, quamdiu non conſtat de diſſenſu vel contra-  
rio ſtatuto, ergo, multò magis poterit talis Reli-  
gioſus confiteri ſuo ſocio Sacerdoti ſimplici. De  
Clerico aut Parocho sæculari certum est, quòd  
in Confessarium eligere non poſſit ſimplicem Sa-  
cerdotem, nam Alex. VII. damnavit hanc 16am  
Prop. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi*  
*eligere in Confessarium ſimplicem Sacerdotem non*  
*approbatum ab Ordinario.*

8. Quòd Parochum manet probabile, quòd 26.  
ſuos ſubditos, ſaltem ſi cum eis peregrinetur, in

F f

alie-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

alienâ Diœcesi, eos ibidem possit absolvere, quia hoc nullibi prohibet Ecclesia, *Illung. Lug. num. 42.* ubi *num. 14.* dicit, Parochum approbatum pro sua Parochiâ, eo ipso etiam esse approbatum pro tota Diœcesi, quod confirmat praxis Germaniæ, teste *Gobat sup. num. 45.* ita ut alienos Parochianos cum tacitâ saltem licentiâ proprii Parochi licitè & validè audire possit, nisi aliud declaret loci Ordinarius, uti modò in Diœcesi Coloniensi.

27. 9. Si quis desinat esse Parochus, etiam desinit ejus approbatio, ut habet communis, nisi fuisset approbatus independentè à beneficio Parochiali; desinente tamen approbatione Parochi non desinit approbatio Sacellani, vel Vicarii approbati in subsidium Parochi, quia principaliter approbantur ratione loci, vel Communitatis, non ratione Parochi.





## CASUS C.

## De Obligatione Sigilli sacramentalis.

**N**erius angitur : 1. An sigillum frangat, si dicat : Titium non animo poenitendi, sed confabulandi, Confessarium convitiandi, vel ad crimen inducendi, &c. Confessionale accessisse. 2. An obligetur Confessarius fictus, interpretes, astantes, consultus, legens confessionem scriptam, &c. 3. An sigillum obliget omni casu. 4. Quale sit peccatum sigillum infringere. 5. An liceat uti scientia confessionis; an de ealiqui sine expressa licentia? quid si id faciat ipse poenitens. 6. Quid si in genere dicat, se in tali urbe, vel Monasterio audivisse talia peccata. 7. Quid si dicat, Titium sibi peccatum publicum esse confessum, vel unum veniale, aut aliunde habeas peccati notitiam. 8. Quid de defectu naturali, vel re indifferente ex confessione cognita. 9. Quid si dicat se imposuisse magnam poenitentiam, vel sine absolutione dimisisse, aut nolit dare testimonium confessionis. 10. Quid si unus complex neget, alter fateatur delictum. 11. An Confessarius possit uti scientia confessionis cum suspitione complicum. 12. Negando votum. 13. Removendo occasiones peccandi vel nocendi. 14. Quid si Confessarius ex confessione sciat, se à poenitente sollicitandum. 15. Quid si Confessarius super delicto interrogetur? Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit sigillum, & qualiter obliget?

R. 1. *Sigillum Sacramentale est obligatio ser-*  
*vandi secreto omnia ea, qua in ordine ad Confessio-*  
*nem Sacramentalem sunt manifestata, eamque red-*  
*derent odiosam, sive quis ea sciat immediate per se,*  
*vel per alium, aut quomodocunque.* Est regula  
 communis & certa. Illa autem manifestantur in  
 ordine ad confessionem Sacramentalem, quæ vel  
 aperiuntur in ipsa confessione animo percipiendi  
 absolutionem, vel aperiuntur cuicumque etiam  
 Laico in ordine ad habendum consilium pro fa-  
 ciendâ confessione, quamvis fortè absolutio vel  
 confessio non sequatur, sive ea, quæ aperiuntur,  
 sint peccata propria, sive aliena cum suis con-  
 nexa, sive vota aut defectus naturales, quorum  
 revelatio confessionem redderet odiosam. Quod  
 si quis sine seriâ intentione recipiendi Sacramen-  
 tum, v. g. animo confabulandi cum Confessari-  
 o, vel eum convitiandi, ad malum sollicitan-  
 di, vel furandi, aut beneficium impetrandi, vel  
 pœnam effugiendi confiteatur, vel delictum ape-  
 riat, quamvis aperiens dicat se illud committere  
 sub sigillo Sacramentali, & alter dicat, se illud  
 sic suscipere, tamen non obligat nisi sub sigillo  
 2. naturali, quod ex justis causis sæpè manifestari  
 potest & debet, ut dixi *casu 36. à num. 19.* Hinc  
 sigillo per se primò obligatur Confessarius etiam  
 fictus, interpres, Superior pro licentia absolven-  
 di requisitus, consultus super peccato vel statu  
 pœnitentis in ordine ad confessionem, legens  
 confessionem scriptam sive casu sive studio, ad-  
 stantes, sive casu, sive ex industriâ aliquid au-  
 dientes, item ii, quibus Confessarius aliquid sine  
 licentiâ pœnitentis revelat, ni i pœnitens aliquem  
 nolit obligari, sola enim & unica causa à sigillo  
 excu-

excusans est contentus pœnitentis. *Dices* : Qui percutit Clericum etiam consentientem, peccat & incurrit excommunicationem, quia talis percussio non tantum prohibita est in favorem Clerici, sed etiam in reverentiam totius Statûs clericalis: atqui revelare peccata confessa etiam pròhibitum est non tantum in favorem pœnitentis, sed & in reverentiam Sacramenti: ergo ejusmodi revelatio nequidem licita erit cum licentiâ pœnitentis. *ꝛ. N.* consequentiam, sicut sigillum epistolarum quamvis sit in bonum communitatis, & de jure gentium à scribente potest remitti, quia hoc ipso, quòd dat licentiam, non amplius manet sigillum, seu res secretò commissa, sic & sigillum Sacramentale non manet post datam licentiam; Clericus autem manet clericus, etsi in percussione consentiat, ideòque non obstante ipsius consensu fit injuria statui clericali.

2. Obligatio sigilli est strictissima, & oritur *ꝛ.* tum ex jure naturæ, tum ex voluntate Christi volentis, ut nullo casu etiam pro salvando toto mundo sigillum infringere liceat, quia semper urget reverentia Sacramenti, quod valde fieret odiosum, si vel in uno casu dicta confessionis revelare liceret, & pœnitens meritò timeret, ne fortè hic & nunc adesset causa revelandi; itaque in casu necessitatis, quando revelatio criminis necessaria est ad avertenda damna seditionis, persecutionis, cædium, &c. ipse pœnitens urgens est, ut, si adhuc possit, per se, vel per alium imminens periculum avertat, aut Confessario loquendi facultatem concedat, quia ad hoc ex charitate obligatur, alioquin indignus est absolutione.

4. 3. Fractio sigilli duplicem habet malitiam, unam contra reverentiam Sacramenti, & hæc semper est mortalis, etiamsi reveletur solum peccatum veniale, quia Sacramentum redditur per hoc valde odiosum, quæ est gravissima irreverentia in ejus authorem: deinde habet malitiam injustitiæ contra tacitum pactum, quod est inter Confessarium & pœnitentem, qui peccata sua detegit sub tacita conditione ea nullo casu revelandi; hæc malitia potest esse gravis vel levis, prout gravis vel levis infamia, vel aliud grave vel leve incommodum ex fracto sigillo pœnitenti oriri potest, *Laym. Lug. d. 13. num. 117. Dian. p. 7. l. 5. R. 8.*

5. QUÆR. II. Quid de usu scientiæ confessionalis, & aliis pro praxi hinc resolvendis?

2. Tenenda esse sequentia: 1. Nullo casu, in quo confessio fieret meritò odiosa, licet uti scientiâ confessionis, aut quidquam revelare directè vel indirectè, dando scilicet occasionem, tale quid de pœnitente prudenter suspicandi, imò nequidem cum ipso pœnitente licet extra confessionem de confessis loqui sine expressa ejus licentiâ. Dico, *extra confessionem*; nam intra confessionem potest probabiliùs Confessarius loqui de iis, quæ faciunt ad necessariam ejus directionem, sicque habet communis praxis; & certè cur suaderemus pœnitenti eundem servare Confessarium, si respectivè ad ipsum Confessarius non posset uti scientiâ priorum confessionum? Multò magis potest loqui ipse pœnitens de iis, quæ dixit ipse vel audivit à Confessario, quia sigilli obligatio est in favorem pœnitentis, cui po-

test ipse renunciare; nisi fortè dicta Confessarii cederent in ejus derisionem, diffamationem, contemptum, &c. tunc enim jure naturæ tenetur ea tacere. 6.

2. Sacerdos in genere dicens, se in confessione audivisse hæc, vel illa crimina, v. g. proditorem, seditionem, eaque foveri in hac civitate, &c. per se loquendo non frangit sigillum, nisi ex circumstantiis fiat occasio tale peccatum prudenter suspicandi de determinata personâ, quod quia quandoque fieri potest, ejusmodi locutiones ordinariè erunt periculosæ & scandalosæ; si quis verò de parva aliqua Communitate, v. g. de Monasterio dicat, ibi committi multa reservata, vel peccata carnis, frangit sigillum, & Monasterio gravissimè detrahit, reddítque confessionem odiosam. 7.

3. Quamvis sit publicum, Titium esse proditorem, si tamen dicas, Titium proditorem tibi esse confessum, peccas contra sigillum; idem est, si dicas, Titium tibi esse confessum multa mortalia, vel multa venialia, vel unum determinatè veniale, v. g. mendacium, non autem si dicas in genere, tibi esse confessum, vel confessum esse venialia; ratio est, quia unde constat necessarium esse saltem confiteri aliqua venialia, non autem hoc determinatum veniale, vel mortale, idèoque hæc cadunt sub sigillo.

4. Si habeas etiam aliunde notitiam peccati, potes quidem salvò sigillo ex hac notitia de alterius peccato loqui; sed cave ne des scandalum aut factum ob scientiam confessionis confidentius affirmes.

8. 5. Si ex confessione intelligas, pœnitentem esse spurium, ignobilem, natum ex parentibus Judæis, esse stupidum, esse Religiosum, militem; uxoratum, aut voto astrictum, &c. teneris in his omnibus sigillo, nisi aliunde ita essent publica, ut certum videatur, pœnitentem non ægrè laturum eorum revelationem; ratio est, quia aliàs eorum revelatio redderet Sacramentum odiosum.
9. 6. Peccat, qui dicit, se pœnitenti gravem pœnitentiam injunxisse, quia æquivalenter dicit, eum fuisse reum gravis culpæ; item peccat contra sigillum, qui dicit, se Titium Sacramentaliter confessum dimisisse sine absolutione, quia facit eum suspectum de indispositione. Sed quid si pœnitens sine absolutione dimissus in Paschate petat testimonium confessionis? *Bz. Cont. Bonac. Lug. Sporer, n. 840.* probabilius non posse negari, maximè si petat publicè, v. g. in confessionali, quia ejusmodi testimonium aliis dare & ipsi negare est exercitè dicere, ipsum non esse absolutum ob indispositionem, ideoque frangeretur sigillum; & dando testimonium non mentitur Confessarius, non testatur eum esse absolutum, sed confessum saltem inchoativè, quod verum est.
10. 7. Si complex fateatur delictum, alter autem neget, negans juxtà *Tamb.* est absolvendus; sed si certò credatur indispositus, data Cruce dimittatur, vel cautè moneatur de integritate confessionis, ita tamen ut suspicari non possit; Confessarium uti scientiâ haustâ ex confessione alterius complicitis, sic enim frangeretur sigillum, ut habet communis. Sed quid, si Cajus confiteatur, se cum Titio & aliis constituisse res Confessarii furari, vel eum de nocte occidere, an possit Confessa-

Confessarius sine licentia penitentis, ( qui eam utiq; sub mortali dare tenetur ) res suas abscondere, fugere, aut aliter sibi præcavere, non obstante quòd Caji complices rationabiliter ex hoc suspicaturi sint eum uti notitiâ confessionis? Affirmant probabiliter *Coning. Bonac.* sed magis consequenter negat *Scotus, Suar. & alii.* Ratio est, quia dare aliis occasionem prudenter suspicandi determinatè peccatum confessum, est frangere sigillum, & in factò revelare alterius peccatum; sed talis occasio suspicionis hîc datur, ut supponitur: ergo.

8. Nunc certum videtur ob *Decretum Clem. 12. VIII. de anno 1593. 26. Maji*, aliorumque Pontificum, Confessarium non posse uti scientiâ confessionis etiam circa personam penitentis in iis, quæ cedunt in ejus incommodum, ideòque redderent confessionem meritò odiosam, quamvis nec penitens, nec ullus alius advertat, hoc fieri ex scientia confessionis, ut si Confessarius ob peccata confessa vellet penitenti studiosius invigilare, ut in peccato deprehendatur, suffragium in electione denegare, ab officio vel loco, in quo peccavit, amovere, se illi ostendere severiorem, ei ut antea non succurrere, domo expellere, Communionem negare, nolle ejus matrimonio assistere, &c. *Lug. Dian. Stotz. num. 251.* Si verò penitenti nullum inde oriatur incommodum, non frangitur sigillum, quia tunc nec revelatur peccatum, nec confessio fit odiosa, *Steph. à S. Paulo hic num. 219.* Hinc si Confessarius ex confessione novit, in aliqua Congregatione esse periculum seductionis, aut strui insidias Principi, potest juxta *D. Thom.* & alios Superiorem Congregationis & Principem monere, ut diligenter invi-

13. gilent, ita tamen ut nec pœnitenti nec alteri fiat rationabilis; suspicio quòd hæc fiant ex scientiâ confessionis. Dixi, circa personam pœnitentis, nam *Tamb. Sporer num. 873.* & plures alii non improbabiler dicunt, Confessarium posse uti scientiâ confessionis circa gubernationem suâ, seu circa res suas, & vitam meliùs custodiendam, v. g. claudere fenestram, per quam pœnitens vult furari, cavere viam, in qua struuntur insidiæ, effundere vinum veneno infectum, negare gladium, qui petitur ad se occidendum; rationem dant quòd nec peccatum nec confessio peccati ulli manifestetur, sed tantùm permittatur, ut pœnitens, qui antea utrumque scivit, de usu scientiæ confessionalis suspicetur, nec propterea confessio fit otiosa, quia tâtùm removetur occasio peccati, quod potiùs beneficium censerì debet quàm incommodum; oppositum tamen est probabilius cum *Scoto. dist. 21. q. 3. art. 2.* Quia scitum ex confessione est quasi nescitum, inquit *D. Thom. in Suppl. q. 11. art. 1. ad 1.* ideòque scientiâ confessionis nunquam licet uti in odium confessionis & gravamen pœnitentis; claudere autem cistam volenti furari est in odium confessionis & pœnitentis gravamen, si enim occultè votum negare pœnitenti indigno est in ejus gravamen, ideòque illicitum, (quamvis ille nec alius advertat hoc fieri ex scientia confessionis) ut certum est ex declaratione Pontificum, cur non claudere cistam vel januam pœnitenti advertenti hoc fieri occasione factæ confessionis? Accedit, quòd nequidem cum ipso pœnitente sine ejus licentia extra confessionem de peccatis confessis loqui liceat; ergo nec poterunt dari signa notitiæ Sacramentalis, claudendo cistam, quia hoc est loqui in factò.



9. Quid si Confessarius aliquoties à Titia fuerit sollicitatus ad peccatum, an iterum ad eam sub prætenu morbi vocatus, teneatur eam accedere? *R.* Non teneri; quia si pœnitens in confessione sollicitavit, confessio non fuit Sacramentalis, ut dixi *num.* 1. ideoque obligationem sigilli non inducit; si verò seriò confessa tibi malam voluntatem aperuit, debes confisus gratiæ Divinæ eam accedere, aliàs alii de pœnitente malè suspicarentur. 14.

10. Confessarius interrogatus de pœnitentiis delicto, potest & debet, si ita opus est, illud negare etiam cum juramento, quia hoc non est mentiri, aut falsò jurare, sed dicere se non scire alterius delictum scientiâ humanâ & communicabili, quod est verum. Pœna Confessarii frangentis sigillum est ex *c. omnis utriusque sexus, de pœn.* depositio à Sacerdotio, & detrusio in arctum 15.

Monasterium; quæ ramen pœna non est  
latæ, sed ferendæ  
sententiæ



## CASUS CL.

## De Satisfactione Sacramentali.

**O**nesius Confessarius. 1. Quandoque imponit pœnitentibus opera aliàs debita. 2. Aliquando nihil. 3. Quandoque pœnitentiam publicam, perpetuam, improporcionatam. 4. Quam pœnitentes vel non acceptant, vel ex parte omittunt. 5. Vel persolvunt per alium absque reflexione ad Sacramentum. 6. Vel diu differunt vel non impleunt die statuto. 7. Vel ejus obliviscuntur. 8. Vel permutant, aut mutari faciunt à Confessario. Pro Resolut.

1. QUÆR. I. Quid circa satisfactionem Sacramentalem ?

¶ Seqq. 1. Per satisfactionem hîc intelligitur passiva, seu pœnitentia à Confessario injuncta, quæ debet esse opus *pium, laboriosum, pœnale & medicinale* præservans à relapsu; quamvis per se imponi possit opus ex alio præcepto debitum, v.g. Missa die festo; id tamen sine causa fieri non debet, ne pœnitentiæ vilipendantur; effectus pœnitentiæ est remissio pœnæ temporalis ex opere operato, est ejusmodi satisfactio pars integralis Sacramenti, in vim cuius operatur, ideóque plus valet modica pœnitentia à Confessario imposita, quàm magna spontè assumpta, *Palud. Laym. c. 15. nu. 14.* Quantum verò de pœnis temporalibus remittat est incertum, dicendum remitti pœnam majorem vel minorem proportionatè ad opus satisfactorium, &

& dispositionem satisfaciens, quia si parva satisfactio ex opere operato remittat aliquid pœnæ, utique satisfactio major remittet plus, cum secundum se totam sit virtute clavium elevata. Deinde Sacramenta conferunt gratiam secundum majorem vel minorem dispositionem subjecti, ergo & sic loquendum de satisfactione.

2. Confessarius pro gravibus per se loquendo obligatur sub mortali imponere pœnitentiam, eamque pœnalem, & medicinalem pro qualitate pœnitentis, ejusque criminum, *Trid. sess. 14. de pœnit. c. 3.* Ratio est, quod Confessarius vi officii sit Judex & Medicus; ergo tenetur malefacta vindicare, & morbis animæ obviare, quod fit per pœnitentiam congruam. Dixi 1. Pro gravibus quamvis enim aliqui cum Suarez. exigant sub mortali impositionem pœnitentiæ etiam pro levibus, id tamen videtur nimis rigidum, quia *Trid.* sumit obligationem ex eo, ne Sacerdos fiat particeps peccatorum, quæ ratio non obligat sub mortali respectu venialium. Deinde positio partis integrantis, qualis est satisfactio, non semper requiritur sub mortali, ut patet in Judicio forensi, in quo Judex non videtur graviter peccare, si pro levi crimine non imponat pœnam. *Metzger pag. 435.* hæc tamen intelligo secluso contemptu, qui vix aberit, si scienter & datâ operâ omittatur. Dixi 2. per se loquendo; nam si pœnitens ob angustias mortis, vel aliter nullam pœnitentiam implere posset, eam quis frustra imposeret; in dubio injungendum est minimum quid, v. g. ut corde, vel voce exprimat nomen JESU, aut internè suspiret ad DEUM, offerat dolores infirmitatis, &c. ubi tamen notandum, si gravia peccata habeat,

inungi debere præter pœnitentiam levem, aliam graviolem conditionatam, casu quo convaluerit, vel eleëmofynam, si eam facillè dare possit per se vel per alios; Aliqui dicunt, non opus esse pœnitentiã, si pœnitens lucretur Indulgentias plenarias, vel Jubilæum, aut sit perfectè contritus; sed oppositum est tenendum: nam præterquam quòd incertum sit, an plenè quis lucretur Indulgentias, vel habeat contritionem sufficientem ad delendas omnes pœnas temporales; Sacramentum sine pœnitentia non erit integrum, cum satisfactio sit ejus pars integralis ex institutione Christi requisita.

3. 3. Pœnitentia debet esse proportionata peccatis, & pœnitenti non nimis gravis, ne pœnitens desperet, neque nimium levis, ne contemnat, & gravitatem suorum scelerum non agnoscat. Accipe verba. *Trid. l. c. Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggestit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutare & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiam cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro commissis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur: habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad vœ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam in peccatorum præteritorum vindictam & castigationem; attamen cæteris partibus satius est excedere in misericordia, quàm severitate; non debes imponi pœnitentia publica, nisi fortè aliter publicum scandalum reparari non possit, neque pœnitentia perpetua, quamvis levis, v. g. indies tria Pater & Ave, quia per talem nunquam obtinebitur integritas Sacramenti, nec*

tenebitur pœnitens eam acceptare utpote irrationabilem; optimum erit pœnitenti imponere, ut in ea materia absteineat à licitis, in qua perpetravit illicita, v. g. divitiis, avaris, injustis, optima satisfactio est eleëmofyna, quia pecunia talibus est causa pravorum affectuum; caveat tamen Confessarius, ne sibi aut suis eleëmofynam applicari velit, aliàs seipsum de avaritia suspectum reddet; contra peccata carnis valent macerationes corporis, jejunia, cilicia, vigiliæ, &c. contra iracundiam, odium invidiam, &c. proderunt humiliations, petitiones veniæ, actus charitatis erga proximos; contra acediam & omne vitium juvat frequens confessio & communio, examen vespertinum & diurnum, quotidiana & sæpè repetita proposita cum dolore.

4. Pœnitentia imponi debet è præcepto, non è consilio tantum, quia hæc utpote arbitrio pœnitentis relicta, probabilius non habet effectum ex opere operato, nec integrat Sacramentum; hinc quamvis subinde juxta sententiam oppositam, quam tenent quidam apud Maftrium; aliqua solum de consilio peragenda imponantur seu potius consulantur, aliquid tamen semper imponendum est de præcepto, quod etiam fecisse censetur S. Franc. Xaverius, & alii Sancti, si legantur ipsi pœnitentiam egisse pro pœnitente, gravis pœnitentia mortalibus debita potest imponi sub levi; si nihil dicat Confessarius, censetur obligare graviter vel leviter juxta qualitatem materiæ.

5. Oratio pro defunctis vel aliis injungi quidem potest, quia est per se molesta, & actus charitatis, attamen consultius judico saltem aliquid imponere in satisfactionem pro peccatis propriis, ad

ad

ad eum enim finem primario pœnitentia instituta est.

6. Recidivis ultra pœnitentiam consulto injungitur, ut quoties tale peccatum commiserint, toties elicto prius dolore, aliquas preces vel mortificationes peragant usque ad novam confessionem, item ut manè & vesperi propositum renovent. *Platel, Henno, &c.* hæc autem potius dentur è consilio quàm sub præcepto. V. quæ dicitur c. 99. q. 9.

7. Nulla est mensura pœnitentiæ, lege Divinâ aut Ecclesiastica taxata, unde relinquitur prudentis Confessarii judicio, habitâ semper ratione conditionis, ætatis, sexûs, valetudinis, &c. quis enim imprudentiæ non accusaret Confessarium, qui non aliud injungeret militibus, quàm Religiosis, robustis quàm infirmis, &c. interim pro gravibus peccatis per se & communiter grave quid semper est injungendum, aliàs timendum, quod *Trid.* suprâ inculcat, ne peccatorum alienorum Confessarius particeps efficiatur, eo quod sic gravitas peccatorum mentis apprehendatur, occasiones & pericula non satis gnaviter evitentur; & ipsimet pœnitentes scandalizentur, si ex respectu humano videant secum nimum conniveri. Propter jam dicta, graves peccatores, quibus proportionata pœnitentia dari non potest, utiliter moventur pœnitentiam non esse sufficientem, ipsosque, quod superest, soluturos in hoc vel in altero mundo usque ad obulum. Juxta multos pro mortali justa est pœnitentia Rosarium, aut quid æquivalens, attamen hoc universaliter non tenet, peccata enim, quæ omnino deliberatè fiunt, videntur mereri quid gravius, præterquam, quod attendere oporteat ad conditionem & statum pœnitentis.

8. Potest minor pœnitentia injungi ob varias causas. 1. Ob debilitatem, aut aliqualem impotentiam in pœnitente. 2. Si sit extraordinariè contritus. 3. Quando lucratur indulgentias. 4. Quando sic allicitur ad frequentiore[m] & utile[m] confessionem. 5. Si dubium sit an profutura vel obfutura major pœnitentia, &c. pro levibus non est difficultas, partim quia non sunt materia necessaria, partim quia probabiliter non est gravis obligatio aliquam pœnitentiam pro iis imponendi, communiter datur miserere, 5. Pater & Ave, &c.

9. Pœnitens tenetur, per se loquendo, suscipere, & persolvere pœnitentiam à Confessario rationabiliter impositam; ratio est, quia Confessarius eam ut iudex justè imponit, & Sacramentum sine ejus persolutione non est completum; ergo pœnitens tenetur eam persolvere, aded, ut omittens gravem materiam pro mortalibus impositam, v. g. confessionem, Communionem, septem Psalmos Pœnitentiales, Rosarium, jejunium, Officium B. Virginis, &c. peccet mortaliter, nisi fortè simul decem, vel plures Communiones, aut Rosaria imponerentur; tunc enim unum omittere probabiliter est tantùm veniale, quia unum respectu decem videtur pars exigua; quòd si quis omittat pœnitentiam levem impositam pro mortalibus, vel etiam gravem impositam pro venialibus, aut mortalibus ritè confessis, peccat tantùm venialiter, est communis, & ratio primæ partis est, quòd materia levis ex communi sententia non sit capax gravis obligationis. Secunda pars inde probatur, quòd iudex debeat pœnam

G g

nam

*R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.*

nam commensurare delicto; si ergo delicta sint venialia, etiam obligatio ad pœnitentiam debet esse venialis.

5. 10. Pœnitens per se loquendo debet pœnitentiam persolvere in propria persona, & quidem cum intentione satisfaciendi, seu cum aliqua reflexione ad Sacramentum, & impositionem Confessarii, ex communi tamen non requiritur status gratiæ; prima pars patet ex Propositione 15, ab Alexand. VII, damnata: *Pœnitens propria auctoritate sibi substituere potest, qui loco ipsius pœnitentiam impleat.* Dixi per se loquendo; nam si Confessarius consentiat, aut opus ab alio factum censeatur fieri ab ipso pœnitente, ut eleëmolya data per servum, pœnitentia per alium impleri potest. Secunda pars probatur, quia satisfactio est pars integralis Sacramenti: ergo debet fieri cum reflexione saltem virtuali ad Sacramentum. Tertia pars constat ex usu timoratorum, qui nullam sibi conscientiam faciunt ex hoc, quod pœnitentiam persolvant in mortali, nec assignari potest ulla lex in contrarium.

6. 11. Si Confessarius nullum tempus determinavit, debet pœnitentia impleri primâ occasione, quâ commodè potest. Differre pœnitentiam medicinalem sine causa ad medium annum, juxta communem est mortale; purè pœnalis seu vindicativa saltem ad mensem differri potest sine mortali, quia non videtur Confessarius ad hanc adstrictè velle obligare; quod si pœnitentia imponatur cum determinatione diei, v. g. jejunium in vigilia alicujus Sancti, expirante die non expirat obligatio, nisi Confessarius substituere aliud opus faciendum casu quo primum tempore præfixo non persolveretur, quia præsumi non potest, quod

Con-



Confessarius velit Sacramentum manere incompletum, quod fieret, si desineret obligatio omnis pœnitentiæ.

12. Qui oblitus est pœnitentiæ, debet, si potest, 7. interrogare Confessarium, si non possit, non tenetur de novo confiteri eadem peccata, quia ab iis est directè absolutus, & talis obligatio sufficienter probari non potest, sed satis est confiteri negligentiam, si quæ intercurrit.

13. Pœnitens non potest spontè pœnitentiam 8. mutare, sicut reus non potest mutare pœnam à iudice impositam, nec subditus mutare præceptum Superioris; aliàs enim die festo loco Missæ possem jejunare, sed pœnitens est reus & subditus in iudicio Sacramentali: ergo neque hoc potest secundus Confessarius, nisi de iisdem peccatis pœnitentem audiat, quia iudex non potest agere super causa sibi incognita, & ad iudicium suum non perlata; potest tamen id Confessarius primus, modò peccatorum (pro quibus pœnitentiam imposuit) adhuc meminerit in confuso, quia iudex, qui pœnam imposuit, potest agere de ejus implementatione, vel mutatione.



## CASUS CII.

De Satisfactione per indulgentias  
& Jubilæum.

**P**Amphilas Theologus interrogatur : 1. Quid  
& quotuplex sit indulgentia. 2. Quid requiratur  
adeas lucrandas. 3. An Jubilæum cesset mortui  
Papa. 4. Quid de eo, qui volens lucrari Jubilæum,  
absolutus est à censuris, vel accepit votorum com-  
mutationem, & non implet opera. 5. Quid  
si absolutus reincidat in reservata. 6. A qui-  
bus reservatis tunc absolvi possit, an etiam ab  
irregularitatibus. 7. Quid si confessio sit invalida.  
8. Quid de potestate commutandi vota. 9. Eligen-  
di Confessarium. 10. An plures indulgentia simul  
possint obtineri. 11. Quid fieri possit post tempus Ju-  
bilæi. 12. Quid de Indulgentiis Altaris Privilegi-  
ati. 13. Quid de Indulgentiis revocatis. 14. Et  
Religiosis de novo concessis. Pro Resolut. Sup-  
pono fide certum esse, quòd in Ecclesia exi-  
stat Thesaurus infinitus Satisfactorius ex meritis  
Christi & Sanctorum, & quòd penes Ecclesiam  
sit hunc thesaurum vivis & defunctis applicare.  
Tridentin. sess. 25. decret. de indulg. Quo-  
circa.

I. QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit Indul-  
gentia ?

R. I. Indulgentia est gratia, quâ præstito  
certo opere à concedente præscripto, remit-  
titur ex toto, vel ex parte, pœna temporalis  
pec-

peccatis non præcisè in purgatorio, sed ex præscripto antiquorum Canonum debita, per applicationem meritorum Christi; hæc autem remissio fit subditis Ecclesiæ per modum absolutionis, non subditis, v. g. defunctis, Catechumenis, &c. per modum nudæ solutionis.

2dò. Ecclesiam posse concedere Indulgentias, est omnium Catholicorum contra hæreticos certa & communis sententia. Probat 1. Ex illo *Matt. 18. quacunq[ue] solveris super terram, &c.* quod Christi effatum cum sit universale, à nullo limitari potest nec debet, ergo datur generalis potestas solvendi quæcunq[ue] vincula remorantia à consecutione vitæ æternæ, adeoque cum pœna pro peccatis solvenda sit tale vinculum, Ecclesia habet potestatem, illud solvendi, consequenter concedendi indulgentias, applicando suis fidelibus merita Christi & Sanctorum in ordine ad remissionem pœnæ. Merita autem & satisfactiones sanctorum applicantur, non quasi satisfactiones Christi non sufficerent (sunt enim infinitæ) sed ex dignatione divina, ne alioquin ipse quoad vim satisfactoriam maneat irremuneratæ, tum etiam quia hoc ipsum Christo perquam gloriosum est, cum ab ipso omne bonum Sanctorum promanet. 2. A catholicis non possunt ostendere initium illius usûs in Ecclesia, ergo est traditio Apostolica secundum Regulam S. Augustini; accedit infallibilis authoritas Ecclesiæ. *Dices; cur ergo Pontifex non tollit statim omnium pœnas, præsertim quas luere debent animæ in Purgatorio, cum id ipsum videatur exigere charitas. R. 1. Cur Deus, si omnes possit salvare, non statim omnes salvat, cum hoc ad majorem ipsius gloriam spectet? R.*

2. Requiritur ad indulgentias justa causa pertinens ad Dei honorem, & Ecclesiæ utilitatem, adeo, ut judicari possit, Deo gratus fore, per indulgentiam remitti pœnas, quàm fieri, executionem justitiæ, quod non esset, si promiscuè statim omnes pœnæ remitterentur.

2. Indulgentia secundùm majus & minùs dividitur in partialem, plenam, & plenissimam *Partialis* est, quâ tantùm pars pœnæ temporalis et præscripto antiquorum Canonum debita, remittitur, v. g. jejunia ad 7. vel 40. dies exsolvenda. *Plena* est, quâ tota pœna ex Canonibus debita relaxatur. *Plenissima* est, idem quod Jubilæum, in quo præter remissionem pœnæ conceditur absolutio à casibus reservatis & censuris, item commutatio votorum & juramentorum, &c. Olim dabatur omni anno centesimo per totum annum, vocatùrque Jubilæum ordinarium, seu Annus Sanctus; aliud est Jubilæum extraordinarium, quod ex alia causa incidente conceditur ad 15. dies, v. g. pro felici regimine neo-electi Papæ, &c. Durante in urbe Anno Jubilæo seu sancto aperitur S. Porta, suspenduntur extra urbem omnes Indulgentiæ plenariæ pro vivis, non tamen pro defunctis, aut in periculo mortis constitutis, aut ab Episcopo concessæ, *Sanchetz Lug. Dian. Pelliz.* Item suspenditur omne aliud Privilegium absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, omnisque facultas dispensandi, vel commutandi vota, data in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias, non autem facultas alio sine data.

2. QUÆR. II. Quid requiratur, ut quis Indulgentias lucretur?

82. Ut profint per modum absolutionis à pœnâ, requiritur 1. Baptismus. 2. Immunitas ab excommunicatione majore, quia hæc privat communionem bonorum spiritualium. 3. Status gratiæ saltem tunc, quando ultimum opus impletur; quare meritò suadendum, ut postremum opus sit Communio, absitque omnis affectus etiam ad peccatum veniale; nullius enim peccati pœna remittitur, nisi remissâ culpâ. 4. Ut impleantur opera præscripta saltem quoad substantiam; opera autem in Jubilæo præscribi solita sunt: 1. Ut post Jubilæum ab Ordinario publicatum è 15. diebus quibus durat, eligatur una septimana, in quâ jejunetur Feriâ quartâ, sextâ, & Sabbatho, hæc tamen jejunia non excludunt collatiunculam vespertinam. 2. Ut illâ septimanâ, quâ ieiunatur, vel Dominicâ immediatè sequente fiat confessio & Communio. 3. Ut intra dictam quindenam tempore placito detur eleëmofyna secundùm cujusque conditionem, ideoque non sufficit omninò minima. 4. Ut una vel plures Ecclesiæ devotè visitentur. 5. Requiritur devota oratio vocalis simul & mentalis; si ex his modicum quid omittatur, probabiliùs id non officit indulgentiis quoad substantiam, videtur enim & hîc dari parvitas materiæ. 6. Qui hæc opera non potest tempore præscripto perficere, potest à Confessario impetrare eorum commutationem, vel temporis Prorogationem; ipse pœnitens verò non potest opera commutare nequidem in manifestè meliora, quia hoc soli Confessario conceditur, à quo tamen confessio & Communio in aliud commutari non possunt; de cætero commutatio fieri potest in opera aliunde debita, & quamvis causa

permutandi à parte rei non sit sufficiens, nihil impedit, dummodo Confessarius iudicet esse sufficientem, quia ejus iudicio committitur. 7. Probabile quidem est non requiri confessionem, nisi quis tempore Jubilæi sit reus peccati mortalis; item probabile est confessionem fieri posse uno vel altero die ante cœptum Jubilæum; quia tamen participatio Jubilæi non pendet à majore vel minore probabilitate, sed à solâ intentione concedentis, Hinc semper agendum, quod tutius.

3. QUÆR. III. Quid notandum circa facultatem absolvendi à censuris?

ꝛ. Sequentia; 1. Jubilæum quodam has, & similes facultates, & gratias est favorabile & amplæ explicationis, nec expirat morte concedentis, nisi simul cesset causa motiva, ut si Papa concessisset Jubilæum principaliter ad impetrandum sibi à Deo faustum regimen, tunc enim mortuo Papâ cessaret hic finis, adeoque & Jubilæum.

4. 2. Qui primo die absolutus est à censuris, accepitque commutationem votorum, manet absolutus, nec vota redeunt, dummodo sincerè intenderit opera pro Jubilæo præscripta exequi, quamvis ex post ea non exequatur, nec Jubilæum lucretur. Ita expressè declarat Benedictus XIV. in Jubilæo publicato Anno 1750. Ratio est: quia simpliciter & sine restrictione fuit absolutus; & quamvis *Suarez. Vasq.* putent, talem peccare mortaliter, qui ista opera ex negligentia omittit, & se spontè Jubilæo privat, eò quòd putent absolutum in vim Jubilæi à censuris &c. se tacitâ promissione sub mortali obligasse ad reliqua Jubilæi opera perficiendâ: attamen non videtur satis constare de

de ejusmodi promissione, & in dubio non est ascen-  
dendum mortale.

3. Qui semel tempore Jubilæi absolutus, re-  
incidit in reservata, denuò absolvi potest, saltem  
si repetat opera præscripta, quia favores sunt am-  
pliandi, & clausula: *Pro hac vice tantum*, non  
ad absolutionem, sed ad tempus Jubilæi referri  
debet

4. Per reservata, à quibus tempore Jubilæi qui-  
libet approbatus absolvere potest, intelliguntur  
casus Papales, & Episcopales, etiam si in Bullâ non  
exprimantur; ordinariè etiam exprimentur casus  
Bullæ Cœnæ, qui si non exprimantur, etiam non  
datur facultas ab iis absolvendi, quia specialiter  
reservata, specialiter exprimi debent. *Benedi-  
ctus XIV. etiam specialiter excepit complicem in quo-  
libet inhonesto, contra sextum præceptum peccato, ita  
ut complex complicem virtute Jubilæi nec eligere,  
nec absolvere possit.*

5. Facultas absolvendi non extendit se ad irre-  
gularitates, quia non sunt propriè censura, bene  
tamen ad excommunicatos etiam vitandos, publi-  
cos percussores Clerici; neque obstat, quòd res  
fortè deducta est ad forum externum, quia verba  
Bullæ loquuntur absolutè. Intellige nisi nomina-  
tim fuerint à iudice declarati, prout declaravit  
prælaudatus Benedictus XIV. in Jubilæo Anni  
1750. his verbis: *Non intendimus per presentes  
facultatem tribuere absolvendi eos qui à Sede Aposto-  
licâ vel aliquo Pralato seu Iudice Ecclesiastico, nomi-  
natim excommunicati, suspensi, interdicti, seu  
alias in sententias & censuras incidisse declarati vel  
publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus Jubi-  
lai satisfecerint, & cum partibus ubi opus fuerit,  
concordaverint &c.*

7. 6. Si pœnitens expressit in confessione reservationem, probabile est, reservationem esse sublata, etsi confessio sit fortè nulla, quia Confessarius fecit, quantum potuit, & reservatio sine peccatis tolli potest: probabilius tamen videtur oppositum, quia sicut non potest quis lucrari Jubilæum per Confessionem invalidam, sic nec intuitu Jubilæi tolli reservatio in Confessione invalidâ.

7. Ante absolutionem debet fieri satisfactio parti læsæ, vel saltem coram Confessario præstari cautio realis, vel in ejus defectu juratoria de futura satisfactione.

8. QUÆR. IV. Quid circa potestatem commutandi vota?

R. Sequentia: 1. Tempore Jubilæi ordinariè datur facultas, non dispensandi, sed commutandi omnia vota & juramenta, excepto voto integræ, & perpetuæ castitatis, & Religionis; & hoc ipso quòd hæc vota excipiantur, conceditur facultas in alia vota reservata, scilicet in triplicem peregrinationem: Romanam scilicet, Hierosolomitana, & Compostellanam; imò votum castitatis, & Religionis ex variis causis desinunt esse reservata, ideòque tunc non tantum tempore Jubilæi commutari, sed & quovis tempore à Religiosis Mendicantibus, & cum iis communicantibus dispensari possunt, ut vota impuberum, vota imperfecta, dubia, conditionata, ex metu facta, pœnalia, quò ad partem tantum vel modum reservata, de quibus vide *Cas. 71. n. 7.*

2. Hæc potestas non extendit se ad vota & juramenta in favorem tertii facta & acceptata, nisi hic consentiat, aut votum vel juramentum vi vel fraude extorserit, alias enim ageretur



retur contra jus ejus ex voto vel juramento acceptato quæsitum.

3. Hæc commutatio durante Jubilæo potest fieri sæpius etiam circa vota tempore Jubilæi emissa, nec necessariò fit in ipsa confessione, quod & probabile est de absolutione à censuris, ut fateatur *Dicast. disp. 11. n. 124.* Requiritur tamen, ut is cui vota commutantur, seriò velit lucrari Jubilæum; quod si expost nolit, vel reverà non lucratur, commutatio manet valida, nec peccat mortaliter, leve tamen censetur secundùm communem DD.

4. Commutatio fit in aliquid moraliter æquale, juxt *Gobat* etiam in aliquantò minùs, aliàs Privilegium commutandi esset inutile, cum probabiliter ipse vovens possit mutare in æquale. Si dubites an æquale sit, hoc ipso est signum moralisæqualitatis. Expediit sæpe mutationem fieri in opera, quæ vovens ex devotione solebat facere, non verò fieri potest in ea, quæ ex gravi obligatione facere debet, quia minueretur sic cultus divinus *Less. Gob. &c.*

5. Tenetur Confessarius sub gravi peccato commutare, si petatur, quia pœnitens habet jus, modò aliqualem causam afferat, imò juxta aliquos sufficiens causa est, quòd ipsi sic placeat *Sanch.* commutatio fieri debet absolutè, non sub conditione; si vovens faciat opera requisita ad Jubilæum, quia hoc Papa non requirit, ergo nec Confessarius requirere debet.

6. Pro praxi vota commutandi, statui possunt cum *Lohner* hæ Regulæ. 1. Attendendæ sunt circumstantiæ & finis voti, non verò excellentia virtutis in surrogando alio opere, hinc votum peregrinandi, quia est ad carnem macerandam, rectè

rectè mutatur in jejunia, cilicia, &c. minùs bene in simplicem orationem vel eleëmofynam. 2. Materia surrogata non debet necessariò proportionari materiæ, quam quis vovit, quòd ad magnitudinem, durationem, & numerum, sed sufficit, si sit æqualis obsequii divini, vel certè non notabiliter minoris; hinc eleëmofyna corporalis rectè mutatur in spiritualem, multæ preces in unum Sacrum. 3. Spectandus est finis & fragilitas voventis; hinc fieri potest mutatio in opera, quæ solet ex devotione facere, & minor eleëmofyna in mutatione imponi debet pauperi, quàm diviti. 4. Ubi major causa mutandi, levior potest esse mutatio, ut in votis ex aliquo metu factis. 5. Personalialia in personalia, realia in realia rectè mutantur, sed non necessariò.

7. Exempla pro praxi sunt sequentia. Votum non faciendi aliquod peccatum, v. g. se non poluendi, non fornicandi, &c. mutetur in perpetuam menstruam confessionem cum recitatione coronæ Rosarii semel in mense. Alii sic volunt: si multùm profit illud votum ad impuritatem vitandam, in Confessionem menstruam per totam vitam, si non multùm profit, quia vovens saepe labitur, in confessionem menstruam per triennium & in Rosarium semel recitandum quâvis septimanâ usque ad annum quadragesimum, &c. Votum ingrediendi Religionem, in confessionem & Communionem menstruam, cum jejuniis sextâ per totam vitam. Non nubendi in confessionem & communionem menstruam, quâ diu erit in matrimonio. Votum jejunandi omnibus feriis sextis in recitationem Coronæ cum Eleëmofynâ iisdem diebus faciendam. Votum recitandi quotidie officium magnum B. V. in quotidia-

dianam Missæ auditionem, vel in confessionem & communionem hebdomadariam. Peregrinatio pedestris unius diei, in jejunium diei, idem de peregrinatione æquestri quatuor dierum, ita, ut sumptus ad utramque peregrinationem requisiti dentur pauperibus. Votum Sacerdotii in castitatem laicalem cum quotidianâ recitatione Rosarii & communionem singulis quindenis. Votum nunquam deliberatè leviter peccandi, in perpetuam confessionem menstruam. Votum orandi quotidie Rosarium in confessionem & communionem hebdomadariam, & generaliter notandum est, quòd pœnitens interrogari possit, an facta mutatio placeat, aliàs fiat: plura de commutatione votorum. Vid. *Cas. 71. notâ 9. 5.*

QUÆR. V. Quid circa potestatem eligendi Confessarium?

R. 1. Omnes fideles etiam Religiosi utriusque sexûs tempore Jubilæi sine licentia suorum Superiorum possunt eligere quemcunque Confessarium ab Ordinario loci approbatum; Monialis tamen debet eligere approbatum pro Monialibus, *Donatus, La Croix.*

2. Non potest eligi excommunicatus, suspensus irregularis, multò minùs degradatus, quamvis antea fuissent approbati, quia hæc approbatio censetur revocata.

3. Electus in Confessarium tenetur audire pœnitentem, quia ex concessione Papæ eligens habet jus, ut audiatur & absolvatur, ergo alter tenetur fungi officio suo, nisi eum justa causa excuset.

QUÆR. VI. An plures Indulgentiæ simul, vel eadem sæpiùs obtineri possint?

R. I.

¶ 1. Indulgentiæ si sint in diversis Ecclesiis, & ex diversis causis datæ, v. g. titulo festi, & titulo Confraternitatis, quibus adscriptus es, maxime si aliæ sint pro vivis, aliæ pro defunctis, & in qualibet Ecclesia ores oranda, probabile est, quòd per eandem Communionem & confessionem possis lucrari utrasque, *Laym. Metzg. &c.* Imò *Burgh. cent. 3. casu 26.* & alii dicunt: hodiernam confessionem & Communionem sufficere ad lucrandas hodie & cras in distinctis Ecclesiis indulgentias.

2. Verius quidem est, quòd easdem Indulgentias non possit quis bis lucrari intra idem tempus, v. g. qui lucratus est indulgentias, quando festum S. Norberti servabatur in choro, probabilius non potest eas iterum eodem anno lucrari, dum servatur in populo. Idem est de Jubilæo intra quindenam, vel Annum Sanctum sæpius lucrando; oppositum tamen non est omninò improbable, si opera requisita repetantur, nisi fortè Bulla aliud exprimat, ita multi *cum Gobat. de Jubilæo c. 20. q. 57. & c. 14. q. 40.* Ratio est, quia ejusmodi Indulgentiæ plerumque dantur ad augmentum devotionis; certum autem est, multum augeri devotionem per repetitionem operum, & iteratam Indulgentiarum participationem. Obinde *Benedict. XIV.* declaravit, eos qui Jubilæum Anno 1750. à se concessum, Romæ vel alibi jam tum adepti essent, præstitis præstandis, alibi denuò lucrari posse.

II. QUÆR. VII. Quid fieri possit post tempus Jubilæi?

¶ 1. Qui lucratus est Jubilæum præstando omnia requisita, potest post Jubilæum frui omnibus gratiis, quamvis illis, tempore Jubilæi uti non

luerit, vel oblitus fuerit, &c. hoc est, potest absolvi ab omnibus peccatis reservatis, & censuris, potest petere commutationem votorum, &c. idque tenet, etiamsi tempore Jubilæi cœperit confiteri, & necdum fuerit absolutus; ratio horum est, quòd lucrando Jubilæum ad hæc omnia jus acquisierit, cujus executionem Papa ad certum tempus non restrinxit.

2. Si lucratus Jubilæum ex consilio Confessarii differat confessionem post Jubilæum, & interim nova reservata committat, probabile est etiam ab his uti & à præcedentibus absolvi posse, nec non impetrare commutationem votorum post Jubilæum emissorum; probabilius tamen est oppositum, eò quòd hoc Privilegium videatur se tantum extendere ad peccata, & vota tempore Jubilæi existentia.

QUÆR. VIII. Quid de Indulgentiis Altaris <sup>12.</sup>  
Privilegiati?

R. Seqq. 1. Altare Privilegiatum vocatur, cui à Papa concessum est, ut per Missam in eo factam, & per applicationem fructus è thesauro Ecclesiæ, anima, pro qua legitur, liberetur è purgatorio; aliquando conceditur pro omni die, aliquando pro certis diebus in septimana, aliquando in perpetuum, aliquando ad septennium, quod septennium non incipit à die publicæ *tionis*, ut antehac censerunt plerique, sed à die *dice Brævis*, ut declaravit S. Congregatio, die 18. *Maji 1711.*

2. Si in Brevi habeatur, ut indies in Altari Privilegiato legantur cæ Missæ, v. g. septem, non videtur obstare, si bis vel ter per accidens tot Missæ non legantur; quia præsumi non potest, S. Pontificem tunc velle Privilegium cessare.

3. Ef-

3. Effectum liberationis animæ ( si requisita præstentur ) infallibilem esse docent *S. Thom. Scot. Lug. Suar. d. 79. s. 79.* contra multos, quod plures dicunt esse certum, quia *Leo X. apud Budach. t. 6.* præcipit sub pœna excommunicationis prædicari, quòd sive vivi, sive defuncti, Indulgentias consecuti, veraciter liberentur à pœnis. Nec requiritur, ut Sacerdos Missam legens sit in statu gratiæ, ut habet communis contra *Lugo*, quia manet fructus ex opere operato.

4. Si Breve requirat Missam *de Requiem*, obtinentur eadem Indulgentiæ per Missam de festo, putà si per rubricas illo die non liceat legere de *Requiem*, ut declarârunt *Alex. VII. In Decreto, Credite, Clem. IX. & Innoc. XI. 4. Maji 1688.* tutiùs tunc addetur Collecta pro defunctis, quod alii putant esse necessarium extra festum primæ classis.

5. Obligatus ex stipendio, vel fundatione celebrare in Altari Privilegiato, si aliquoties sine causa legat alibi, peccat mortaliter, quia id cedit in grave præjudicium petentis, vel animarum, ideòque stipendium restitui debet, vel Missæ in Altari, Privilegiato suppleri debent, vid. *Cajum 93. à n. 22.*

6. An translato Altari transeat Indulgentia, colligendum est ex verbis Bullæ. Destructa Ecclesia amittitur Privilegium Altaris, et si Altare maneat, idque decisum esse testantur *Dian. Gob. t. 3. n. 657.*

7. Sub generali communicatione Privilegorum non veniunt Altaria Privilegiata, aut Indulgentiæ concessæ pro singularibus festivitibus hujus vel illius Ordinis, nec Portiunculæ, nec quæ pro aliqua Ecclesia in particulari, sed tantum quæ

Ordini in generali concessæ sunt, aliàs vilescerent,  
& patet ex praxi.

QUÆR. IX. Quid de Indulgentiis revocatis, 13.  
& Religiosis de novo concessis ?

R. Paulus V. revocavit omnes Indulgentias Co-  
ronis, Rosariis, granis seu calculis, crucibus, ima-  
ginibus sacris, Fraternitatibus, Archifraternitati-  
bus quibuscunque, Regularibus etiam Societatis  
JESU concessas, &c. ante Breve Pauli V. quod  
incipit: *Romanus Pontifex*, editum 23. Maji 1606.  
nisi fuerint autoritate S. Pontificis renovatæ; 14.  
econtrà in eodem Brevi aliæ novæ & plenariæ In-  
dulgentiæ Religiosis utriusque sexus conceduntur,  
videlicet in investitione, professione, dum pri-  
mam Missam celebrant; vel ei intersunt, in arti-  
culo mortis, in festo principali Ordinis, si pro  
bono Ecclesiæ oraverint. Item iis, qui per octo  
vel decem dies S. exercitiis vacaverint, requiri-  
tur tamen in his omnibus confessio & Communio.  
Denique Religiosi intra claustrum viventes, qui  
suam Ecclesiam devotè visitaverint, & pro exalta-  
tione S. Matris Ecclesiæ SS. Pontificis salute, hæ-  
resum extirpatione, Christianorum Principum  
concordiâ devotè oraverint, consequuntur eas-  
dem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis &  
extra eam, diebus stationum. Item quoties ante  
Altare quinquies Pater & Ave recitaverint, toties  
quinque annos & totidem quadragenas, & speci-  
aliter Religiosi Præmonstratenses non solùm in fe-  
sto S. Norberti, sed etiam in festo Assumptionis  
B.M.V. Augustini & omnium Sanctorum Ordinis,  
quod 13. Novemb. celebratur, & in festo Patroni  
tutelaræ Ecclesiæ, pro se & omnibus fidelibus, si  
præter confessionem & Communem pro Eccle-

H h siâ

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

tiâ oraverint, plenarias habent Indulgentias ex concessione Clem. X. facta Romæ 5. Julii 1673. Similes Indulgentias perpetuò valituras concessit Benedict. XIII. 19 Junii anno 1728. in festis S. Evermodi, Isfridi, Ludolphi, Gilberti, Frederici, Siardi, Hermanni Joseph, S. Gertrudis Vug. & B.B. Adriani & Jacobi, Martyrum Gorcomiensium, idq; ipso die Sanctis adscripto, aut si hic impeditus fuerit die immediatè sequente, pariter non impedito. Item Benedict. XIV. anno 1743. 6. Septemb. concessit Altare, privilegium perpetuum & quotidianum pro defunctis per Abbatem designandū in singulis Ecclesiis tam erectis quam impostorum erigendis Canonorum Regularium Ordinis Præmonstratensis, & Monialium Ordinis hujusmodi, sub gubernio, curâ & jurisdictione Canonorum Regularium præfatorum existentium... ut quandocunq; Sacerdos aliquis secularis vel cujusvis Ordinis congregationis & instituti regularis sacrosanctum Missæ Sacrificium pro animâ cujuscunq; Christi fidelis, quæ deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare ab Abbate designandum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, & à purgatorii pœnis liberetur &c. Idem Papa Benedict. XIV. eodem anno & die concessit, ut Missæ quæ juxta constitutiones Canonorum Regularium Ordinis Præmonstrat. pro animabus defunctorum tam Canonorum quam laicorum, ac etiam Monialium ejusdem Ordinis sub eorum jurisdictione curâ & gubernio existentium, in obitus ipsorum seu ipsarum vel alio die à quocunq; Sacerdote in dicti Ordinis Ecclesiis celebrantur, perinde suffragantur ac si ad Altare privilegium celebratæ forent.